DE

MARCI TULLII CICERONIS

ORATIONUM DEPERDITARUM FRAGMENTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM LUGDUNENSI PROPONEBAT

FERDINAND BELIN

FACULTATIS LITTERARUM PARISIENSIS LICENTIATUS

PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAM A. FRANCK (F. VIEWEG)

VIA DICTA RICHELIEU, 67

M DCCC LXXV

DE

MARCI TULLII CICERONIS

ORATIONUM DEPERDITARUM FRAGMENTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM LUGDUNENSI PROPONEBAT

FERDINAND BELIN

FACULTATIS LITTERARUM PARISIENSIS LICENTIATUS

PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAM A. FRANCK (F. VIEWEG)

VIA DICTA RICHELIEU, 67

M DCCC LXXV

A Monsieur Glachant
Inspecteur Général de l'Enseignement secondaire
Respectueux hommage
[illegible]

DE

MARCI TULLII CICERONIS

ORATIONUM DEPERDITARUM FRAGMENTIS

LUGDUNI. — EX TYPIS PITRAT, VIA GENTIL, 4

DE

MARCI TULLII CICERONIS

ORATIONUM DEPERDITARUM FRAGMENTIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM LUGDUNENSI PROPONEBAT

FERDINAND BELIN

FACULTATIS LITTERARUM PARISIENSIS LICENTIATUS

PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAM A. FRANCK (F. VIEWEG)

VIA DICTA RICHELIEU, 67

M DCCC LXXV

CARISSIMO MAGISTRO MEO

A. LECROCQ

GRATI PIGNUS ANIMI

F. BELIN.

PRÆFATIO

De M. Tullii Ciceronis fragmentis orationum deperditarum in hoc libro disserere institui; et, quanquam ea sagacissimi atque eruditissimi viri sæpius scrutati sunt atque interpretati, sine crimine arrogantiæ, arbitrari possum neque inanem neque levissimum esse laborem meum. Non ego et versus et exempla et locos, quæ in operibus vel grammaticorum vel rhetorum dispersa interponebantur[1], colligenda, neque nova ex novo palimpsesto proferenda [2], neque rectius et melius quam antea fragmenta disponenda suscepi[3]; mihi enim et doctrina et materia haud dubie defuissent; verum quædam, neque Ciceronis laudi neque illius operibus ex veritate æstimandis inutilia, quæ Angelo Mai, Baiterus, Orelli ac noster vir clarissimus J. V. Leclerc

[1] Orelli et Baiterus.
[2] Angelo Mai et Amedæus Peyron.
[3] E. Lemaire.

aut de industria omiserant, aut *post aliis commemoranda* reliquerant, extuli atque in lucem edidi. Primum omnium, quo genus cujusque causæ facilius distingui posset, et rebus adhiberetur lumen, si quando obscuritas ac tenebræ quædam confunderentur, cum summa diligentia, orationi deperditæ argumenta proposui, neque in iis componendis Sigonii atque « Angelo Mai » monita imitari studui, quibus cuncta, quæ veteres scriptores de concione desiderata vel excerpserunt vel opinati sunt, accuratissime colliguntur; sed, « J. V. Leclerc » vestigiis obsistens, ea delegi ac separavi, quæ ad meum propositum ac litem, quam tractare aggressus sum, proprie pertinebant. Deinde (illud autem opus, ut opinor, primus usque ad hanc ætatem sumpsi), ut causæ difficultatem intelligeremus, utque recte atque ex æquo quæ fuerit vis, copia et dicendi Ciceronis calliditas judicaremus (nam ea magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque æstimari possunt), non solum e veterum scriptorum testimonio, quo in numero fuerint inter patronos Ciceronis adversarii, quem fructum dicendi, quamque laudem ceperint indicare tentavi; sed, sive ex ipsius Ciceronis fragmentis [1], sive ex locis, quos, exempli causa, antiqui rhetores atque imprimis Quintilianus [2] servaverunt, orationis ab iis habitæ effigiem, quantum potui, relinquere conatus sum. Tum, quod quidem caput, ut ita dicam, nostri

[1] Vide infra, exempli causa, enarrationes orationum pro Tullio et pro Vareno.

[2] Vide enarrationem orationis pro Vatinio.

incepti est, in orationes Ciceronis deperditas vel exædificandas vel adumbrandas omnem curam contuli. Modo enim, quum loci essent manci ac curti, vel fragmentis, quæ neque sine causa neque sine approbatione dicendi doctores quondam delegerant, vel rhetorum pervulgatis præceptis fretus, omni ope atque opera adnixus sum ut orationis tenorem et cursum, si non videre, suspicari tamen haud esset difficile ; modo, quum vel pæne tota oratio vel quædam orationis partes integræ mihi essent in manibus, exponendo ac disserendo ea coarctavi et peranguste refersi, ne eadem, dilatata atque explicata, cum iis, quæ divinare amissa aut imperfecta supplere volebam, male neque apte cohærerent. Præterea judicium, quod non sine reverentia de iis orationibus feci, aut ad extremam partem reservavi, aut æquabiliter fusum in continenti oratione habui. Tandem, quia in unum corpus varias enarrationes ac disputationes colligere in animo habebam, narrandi haud uberiore filo, rebus gestis Ciceronis brevissime memoratis, priorem orationem sequenti conjungendam attente curavi, ea mente ut videremus quemadmodum Cicero non solum in spatio æquales suos, qui prima tenebant, eorum vestigiis sit persecutus, sed summa dicendi facultate atque admirabili quadam scientia et copia eosdem mox exsuperarit.

Quæ mihi hoc loco proposita sint denuntiavi ; nunc pauca mihi verba facienda sunt, quibus doceam quamobrem editionem Turici alteram [1], quæ ex G. Baiteri

[1] Anno 1862.

recensione Ciceronis omnia, quæ supersunt, opera continet, non religiose sim secutus. Principio, iis orationum deperditarum fragmentis fragmenta orationis pro M. Tullio, quæ quidem omnes servaverunt superiores editiones, addidi : non autem injuria; neque enim ea defensio integra videri potest, quum et narrationis et de legibus disputationis aliquam partem et totam perorationem desideremus; neque mihi est contemnenda, quum ex ea judicare liceat Ciceronem adolescentem in institutis ac consuetudine civitatis minime fuisse hospitem. Verum ex eadem editione duas orationes, quarum G. Baiterus vel indicia vel fragmenta primus in lucem edidit, deducere non dubitavi, scilicet C. Antonii defensionem atque A. Gabinii accusationem. Satis scio M. Antonium, suum collegam et majestatis et conjurationis Catilinariæ reum factum, Ciceronem frustra defendisse; sed, quamvis operæ pretium fuisset illius acerrimæ accusationis fragmenta colligere, qua suam adolescentiam potissimum M. Cœlius Rufus commendavit, cumque ea, quam singulari laude exornavit Quintilianus [1], Ciceronis defensione comparare, quia locus Dionis [2] Cassii transcriptus ne unum quidem verbum ex oratione deperdita excerptum continet, non possum in hoc constituendæ orationis sedem et fundamentum invenire. Quod attinet ad A. Gabinii accusationem, non infitias ibo in A. Gabinium Ciceronem ante

[1] Lib. IV, c. II.
[2] Lib. XXXVIII, c. X.

dixisse, quam, reconciliata gratia, ejus susceperit patrocinium; at, quum unus hic versus a Servio conservatus [1] : « Fibræ cincinnorum madentes » haud illius versus dissimilis est, quem in oratione contra L. Calpurnium Pisonem legimus [2], « madentes cincinnorum fimbriæ; » quumque, Trebellio Pollione affirmante Ciceronem [3], contra Gabinium loquentem, prædixisse fasces consulares ingredi Alexandriam non licere, interpositæ religionis in hac re alias noster meminerit [4], haud scio an de hoc fragmento dubitare atque hæsitare hodie deceat. Restat ut locum illum communem de reditu in gratiam, quem divus Hieronymus a Cicerone mutuatus est [5], uno verbo attingam. Quum inter omnes constet hunc non ex oratione sed ex commentariis causarum esse decerptum, non mihi licebat eumdem fragmentis orationum deperditarum Ciceronis addere. Non me fugit enim apud Romanos hoc fuisse in more positum ut scriberentur orationes habitæ jam, non ut haberentur [6]; ac probabile est Ciceronem putasse suam consilii mutationem non adeó exprobatum iri, si in existimantium arbitrium talis oratio non venerit. Quod si, ut opinor, orationem pro Vatinio proferendam curaverit, ne illud obliviscamur, scilicet non unum de multis, sed in hac causa Ciceroni fuisse

1 Ad Virgilium, Geo., lib. I, v. cxx.
2 C. II.
3 In XXX Tyrannis. — Æmilianus, c. XXI.
4 In L. Calp. Pisonem, c. XXI.
5 Apolog. adversus Rufinum.
6 De Senectute, c. XI. — Brutus, c. XXIV.

M. Calvum adversarium, qui, admodum adolescens, singulari eloquentiæ laude cum ceteris patronis certabat; ac nostrum oratorem suam defensionem esse legendam voluisse, ut ex ea de accusatoris et defensoris ingenio revera posset existimari. Sed de illis hactenus; et institutum ordinem statim persequar, quum professus ero me, quia non mihi esse necessaria videbantur, hæc omnia omisisse, quæ in Bruto[1] suo de sua adolescentia cum tanta diligentia Cicero narravit exposuitque.

[1] C. LXXXIX, s. q.

DE

MARCI TULLII CICERONIS

ORATIONUM DEPERDITARUM FRAGMENTIS

ORATIO PRO M. TULLIO. II

Omnes, qui sunt Ciceronis studiosi et fautores, haud ignorant illum non admodum puerum, ut nonnulli æquales[1], agendi initium sumpsisse; sed, et litteris et rhetorum præceptis et pæne incredibili scientia tinctum, judicia attigisse, ut quid dicendo posset efficere ad omnia paratus tantum tentaret. Inter autem eas causas, quas biennio egit, quum circiter sex et viginti annos, primum in forum venit, duæ tantum memoriæ produntur, scilicet una privata pro P. Quintio, pro Sexto Roscio Amerino altera publica. Attamen, quanquam, præcepti causa, nobis non esset inutile ingenii Ciceronis et eloquentiæ quasi incunabula perspicere, si ex ceteris hujus ætatis orationibus ne ulla quidem vox in rhetoribus vel grammaticis exstat, ne litteras Romanas credamus aliquid damni inde fecisse, quum e Cicerone

[1] Cæsar, Calvus, Pollio.

ipso didicerimus[1] eas juvenili quadam dicendi impunitate et licentia superfluisse. Verum, quia ex Asia, quo se contulerat non solum propter corporis gracilitatem et intemperatam dicendi consuetudinem sed etiam propter Sullæ dictatoris metum, jam exercitatior et prope mutatus rediit; quia statim, Cotta et Hortensio inter ceteros patronos excellentibus, nobiles causas agere incepit, tum laboris et industriæ nostri oratoris monumenta inquirere, tum ubicumque impressa vestigia persequi operæ pretium est. Inde enim cursum illius cognoscere licet, et quo studio quaque cura, quum speratam dicendi gloriam assequi vellet, ad hanc summam oratoris laudem pervenerit. In Bruto[2] suo confitetur ipse inter æquales suos neminem fuisse patronum, « qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum; neminem qui jus civile didicisset, rem ad privatas causas et ad oratoris prudentiam maxime necessariam; ..... neminem (tandem), qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis et temporis ad communem quæstionem universi generis orationem traduceret; » itaque, flagranti ardore incensus, hunc, qui omnino Romæ nunquam fuerat, exprimere voluit; et, non ut in foro disceret, sed in omnium doctrinarum meditatione jam versatus, ad causas accessit. Ergo, si hujus spatii orationes habitas vel paululum attigerimus, animadvertemus eum non, Hortensii more, in omnibus causis genus et sententiis concinnis frequentatum et verbis volucre atque incitatum obtinuisse; contra autem humilia subtiliter, magna graviter, mediocria temperate dicere tentavisse.

[1] Brutus, c. XCI.
[2] Brutus, c. XCIII.

Ad hæc, non rudis atque imparatus, non hesterna disciplina imbutus, ad dicendum aggrediebatur; sed, in jure civili instructus, eloquentiam jurisperitissimus mature putatus est. Quod quidem probat non solum ea pro Cæcina causa, qua subtilius res involutas definiendo explicavit, sed etiam pro M. Tullio secunda actio, quam, octo annis ante, Sylla mortuo, quum quæsturam peteret, habuit, quaque judicium, prudentiam et præclaram eruditionem suam in luce statim posuit. Neque hoc, quia fando auditum est, affirmamus ac tenemus; sed noster vir doctissimus Amedæus Peyron ignota ad hanc diem fragmenta adeo ampla extulit, ut et quod dicendi genus Ciceronis fuerit, et quomodo adversarius causam suam constituisset ac perorasset, scire possimus : de quibus nos disserere nunc, credo, tempus est.

P. Fabius, militiæ munere perfunctus, quum in prædio quæsitam pecuniam ponere vellet, fundum, cui affinis erat M. Tullius, emerat; quumque in agro centuriam, quæ Populiana nominata ejusdem Tullii erat, ad suum fundum convenire animadvertisset, advocatis testibus, experiundi juris gratia, vicinum appellarat, ut aut ipse Tullium deduceret aut ab eo deduceretur. At, quum se deducturum dixisset Tullius, proxima luce appropinquante, servi P. Fabii non magnum ædificium in centuria exstructum disturbarunt atque homines servos M. Tullii crudeliter occiderunt. Inde in judicium vocatus est P. Fabius; et, quia, testimoniorum mole oppressus, priore actione frustra contenderat cædem ad familiam suam non pertinere, novum refugium quæsivit, atque affirmavit eam non dolo malo sed fortuna factam esse : itaque secunda actio tota fuit de verbis interdicti a Lucullo propositi, quam quidem

ita exponit Marcianus[1] Capella : « Damnum passum fuisse M. Tullium convenit mihi cum adversario; vi hominibus armatis rem gestam esse non inficiatur; a familia P. Fabii commissam negare non audent : jam dolo facto malum sit ambigitur. » In hac causa Ciceronis adversarius erat L. Quintius, quem patronum elegerat P. Fabius. Quid iste autem tunc temporis dicendo valeret affirmare difficile est; etenim, si in oratione pro A. Cluentio[2] noster asseverat Quintium adeo ab omnibus esse improbatum, ut, si quis putasset suam causam honeste posse defendi, non ad patronum istum se conferret, eum tamen virum primarium initio orationis pro Tullio nominavit; neque jocandi causa; nam, quanquam postea, ut istius argumenta elevaret, defensionem nugatoriam esse declaravit, nihilominus ad ea, quæ idem dixerat, apposite respondendum esse credebat, ne, ut mea fert opinio, refutando esset inferior. Ut suum reum purgaret ac defenderet L. Quintius, e Ciceronis testimonio, copiose et abundanter loquebatur; neque ea linguæ volubilitas tædium recuperatoribus afferebat, quum ab illo noster postularet ut semel unaquaque de re diceret, non ea mente ut judices non oscitantes efficeret, sed ut his aliquid temporis ad judicandum relinqueret. Ceterum, quod quidem nobis suspicari licet[3], cum quadam prudentia defensionem suam disposuerat : principio enim, ut a Tullio[4] judi-

[1] Lib. V de Partitione. Vide Victorini expositionem in Rhetorica Ciceronis, lib. I, c. LVII, et C. J. Victoris Artem rhetoricam, c. XIV, de Partitione.

[2] C. XXIX et c. XXX.

[3] Quintilianus, lib. VII, c. I.

[4] Constat inter omnes deerrasse Sigonium, quum affirmet pro M. Tullio Decula, viro consulari, hanc habitam esse orationem; ceterum, ceteris

cum benevolentiam abalienaret, de vita illius et moribus et existimatione multa protulerat; postea, quum difficile esset negare, quod erat optimum, totum facinus factum esse, divisione non insulsa, quia defendentem separatio semper adjuvat, usus erat : primum injecerat nihil posse dolo malo familiæ fieri; deinde illuc confugerat oportere quæri jure an injuria homines M. Tullii occisi essent; tandem necessitatem prætendebat, propterea quod non solum unus P. Fabii servus ab. adversarii familia sublatus erat, sed quia eidem Fabio eadem familia insidias collocabat. Ad hoc, facti excusationem ducebat tum ab illa lege de XII tabulis, quæ aliquoties permittebat ut hominem liceret occidere, tum ex ea lege nata, non scripta, qua, si vita nostra in aliquas insidias incidit, omnis honesta ratio est expediendæ salutis [1].

Animis judicum, e judicio paululum digrediendo, tenebras L. Quintius offuderat; eas autem respondendo imprimis noster excutere studuit. Ut simplicis [2] sumptique e proximo sermonis fidem acquireret, ab actione adversarii exordium sumebat; et, quanquam jus suum intelligebat, et modestiam et judicum reverentiam præ se ferebat, eosque in præmio docebat simul ac delectabat, quum leviter, urbane tamen, longiusculam adversæ partis orationem perstringeret. Inde, paratis ad audiendum animis, accurate, non autem immoderate, ponebat quæ deberet esse judicum æstimatio, quaque

omissis argumentis, quum noster dicit omnia se facere pro Tullio, (c. I), quia non minus animo quam nomine conjunctus est, verisimile est istum neque nobilitate neque amplitudine notum esse : nam statim e dignitatis commendatione atque auctoritate, præsertim quum P. Fabius nulla re floreret, non infirmum argumentum patronus sumere tentasset.

[1] Oratio pro T. A. Milone, c. IV.

[2] Quintilianus, lib. IV, c. I.

causa M. Lucullus primus judicium dedisset « ne vi hominibus coactis armatisve damnum dolo malo familiæ datum, » neque illam latebram « damnum injuria » addidisset. Postquam, formula ita exposita, actionis fundamentum jecerat, ad facti narrationem, a re initio ducto[1], statim transibat. Hanc autem orationis partem, quamvis imperfectam et mancam teneamus[2], aliqua laude exornare decet. Etenim, quia ea est fons reliquæ orationis, neque obscura est, ne totam occæcet actionem; neque uno dicendi tenore tædium affert, quum festivitatem habeat, distincta personis et interpuncta sermonibus; neque tandem, quod summum est, incredibilis esse videtur, quum causas ac rationes factis præposuerit Cicero et personam convenientem eis, quæ facta erant, constituerit. Verum aperte et jucunde et callide rem narrare noster non erat contentus; nam, congregatione facta, breviter simul ac vehementer comprobabat facinus istud a dolo malo non sejungi posse. Id autem erat actionis caput : itaque, conciliandæ benevolentiæ gratia, animi attentionem, antequam in exceptionem ingrederetur, modeste exposcebat. De hoc loco, qui litteratis viris jejunus esse videtur, disserere non mihi in animo est : at hoc imprimis notandum est, non solum subtili ac pressa juris interpretatione, sed vi exemplorum[3] et consequentibus, quæ ad omnes similes causas pertinebant, adversarii defensionem oppressisse Ciceronem et exclusisse. In hac parte orationis suæ paululum hærebat, ut singillatim res enumeraret quas vicerat; et, quanquam locus est

[1] Quintilianus, lib. IV, c. II.
[2] Testimonia in fragmentis desunt. Vide C. J. Victoris Artem rhetoricam, c. VI, § 1, de Artificiali Argumentatione.
[3] Vide Fortunatiani librum de Rhetorica.

mutilus, suspicari tamen licet idem de interdicto, de quo judicium erat, eum plane affirmasse. Hic causa nobis perorata haud dubie videretur, si controversias et angustias, quibus noster in oratione pro A. Cecina versute utitur, non jam nossemus. Itaque, quo sæpius vocarat adversarius, ne quid prætermissum pro concesso putaretur, statim veniebat. Etenim L. Quintius, etsi semel atque iterum a quo impetrabat esset detrusus, denuo affirmabat quæri oportere utrum jure an injuria occisi essent M. Tullii servi. Ergo, ut quæ res in judicium venirent judicibus manifestas efficeret, de Vi et de Dolo Malo interdicta exponebat explicabatque; ad hæc, ne adversarius in cujusdam legis latebris de XII tabulis delitesceret, sacrosanctam formulam copiose interpretabatur. Hæc autem non solum summisse, sed etiam dilucide et enucleate disserebat; et jure ac merito cum quibusdam[1] locis illius pro Cecina orationis, quam singulariter ipse[2] Cicero laudavit, ea conferre possumus. Nam, in hac juris obscura dubiaque ratione adeo libere fluit, ut non irruisse in jurisconsultorum locum, sed in suo eum versari diceres. Hanc disputationem ultro conclusio sequebatur, qua, sine arrogantia, asseverare ei liceret non modo servos M. Tullii jure occidi non potuisse, sed etiam ne tectum quidem illius disturbari. Reliqua erant duo argumenta, quibus, jam deturbatus, usus erat L. Quintius, quæque tamen refellere Cicero conabatur : verum, ne jejunus ac siccus judicaretur, non eamdem refutandi rationem adhibebat. Quum enim iste, sublato C. Fabii quodam servo, jure sublatos esse M. Tullii servos diceret, nos-

[1] Vide præcipue, c. xxxi et c. xxxii.
[2] Orator, c. xxix.

ter crebris eum quæstionibus urgebat, ut convinceret non cæde sed usitato jure agi potuisse; quumque jaceret idem probabiles adversæ familiæ insidias, noster fortissime invadebat ostendebatque quantum illud adversarii, si concessum esset, civibus[1] omnibus afferret periculum. E peroratione nihil nobis superest; at, causæ genere spectato ac considerato, pro certo habeo nec lacrimulam nec dicendi faces judicum animis admovisse Ciceronem, et, in re præsertim aperta ac simplici, vim orationis et tragædias omnino rejecisse.

Hæc est forma et dispositio orationis pro Tullio habitæ, quæ, quum tota de verbis interdicti esset, perpetuum et eumdem, ut ita dicam, spiritum[2] sine ulla commutatione tenebat. Etenim non modo in ea continenti non interponuntur illi loci communes, qui proprii causæ et inhærentes in ejus nervis esse videbantur, quæque orationem pro A. Cecina ornant magnifice atque illuminant; sed ne ii quidem verborum sententiarumque flores inveniuntur, quibus sermo vel quotidianus distingui solet, ac vix ironia semel uti[3] urbane orator ausus est. Non quod adeo mente captus est ut non intelligeret, communis causa utilitatis, nec sententias interdictorum[4] infirmandas esse, nec jus civile contemnendum; sed sese in dicendo efferre nolebat; concessam juvenibus licentiam de industria reprimebat, et omnem amplificationem et exaggerationem, ut tale judicium vel senes probarent, plane rejiciebat. Vix

[1] Confer cum, c. xxvii, Orat. pro Cecina.

[2] Forsitan, ob hanc causam, ita in dialogo de Oratoribus arroganter scripsit Tacitus, c. xx : « Quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina quæ pro M. Tullio legimus. »

[3] Pro Tullio, c. iv.

[4] C. ix ; Cf. orationis pro Cecina c. xiii, xxv et xxvi.

in viam oratoriam ingressus, quum, ut ita dicam, divinaret quodnam curriculum habere posset « et natura admirabilis et exquisita et singularis industria, » ostendere in animo habebat se nullum genus causarum repudiare, se non eodem modo omnes causas agere, se tandem eum esse, qui non animi sui sed causæ naturæ orationis colorem ac sonum accommodare posset.

ORATIO PRO L. VARENO

Iisdem fere temporibus, quibus causam M. Tullii Cicero egerat, L. Varenum, reum inter sicarios, quum Cn. Varenum vulnerasset et C. Varenum occidisset, defendit; et illius defensionis integræ eo magis desiderium nos remordet, quo plura de ea Quintilianus exempla sumpsit, quasi hanc esse perfectam, absolutam et omni genere virtutum abundantem arbitraretur. Ceterum, quia accusationibus etiam mediocres in dicendo semper suffecerunt, dum bonus defensor nemo nisi eloquentissimus fuerit[1], non hæc excerpta in oratoria Institutione audientes vel legentes obstupescimus.

Quis fuerit iste Varenus, quamobrem eum M. Tullius defendendum susceperit, omnes ignorare satis constat; sed ad auctoritatem gratiamque nostri oratoris pertinebat nullius unquam periculis deesse videri, ut majorum commendationem beneficiis in cives ac meritis brevi compensaret. Quod si rei hominis nulla

[1] Quintilianus, lib. V, c. XIII.

apud scriptores mentio exstat, accusatorem Erucium, quem in oratione pro Sextio Amerino ridiculum Cicero denuntiavit [1], quem cum latrante ac mordente cane comparare ausus est, quemque semel ac sæpius, ut scholiastæ Gronoviani verba usurpem, alludendo vulneravit [2], paulo notiorem habemus. Hic autem, nulla re probabilis, de foro quidam rabula, neque contemni solum sed etiam irrideri solebat [3]; attamen, acer, acerbus, criminosus, ex cujusvis accusatione fructum diligentiæ sperabat. Verum, in hac causa, seu de industria, sive oblata casu ad consilium verteret, non ex solito innocentem hominem, dummodo inermis nudusque patrocinio esset, in judicium vocabat; sed reum adeo omnibus malis pressum [4], ut eum esse utique damnandum omnibus appareret. Suæ igitur accusationis de eventu securus, quumque sciret M. Tullium pro Vareno esse dicturum, adversarii dicacitatem ulciscendi jampridem cupidus, se non plane tironem in arte dicendi ac rudem esse demonstrare in animo habuit. L. Varenus non solum C. Varenum et Salarium occidisse arguebatur, sed etiam Cnæum Varenum vulnerasse; hunc autem in conspectu omnium Erucius constituit; et, ea mente ut oculis judicum vim afferret, Marcumque Antonium imitaretur, qui quondam Manium Aquilium, de pecuniis repetundis reum, in civitatem retinuerat, neque probitatem neque innocentiam neque

[1] Pro Sexto Roscio Amerino, c. XVIII et XX.

[2] Scholiasta Gronovianus, in orat. pro Sexto Roscio Amerino, c. XLVI.

[3] « Numquid, imperitorum perterriti multitudine, quicumque boni oratores evadere volunt, Cæcilii sibi potius aut Erucii orationibus quam Tullianis navandam operam existimant. » (D. Augustinus, *de Utilitate credendi*, c. LXVIII.)

[4] Quintilianus, lib. VII, c. II.

integritatem probando, sed dilacerando tunicam [1] et cicatrices adversas senis imperatoris ostentando, in judicio subinde [2] vulnus juvenis testatus est et resolvit : at earum tragædiarum eventus haudquaquam idem evasit ; atque iste Erucius, qui jam rem neque aperte neque breviter narraverat, exspectatione decepta, ex sua imitatione nil nisi quamdam [3] nominis similitudinem et suspicionem ridiculi absconditam percepit. Ea sunt quæ, ex Vareni defensionis fragmentis, de Erucii accusatione divinare licet, nunc, quum de ea satis dictum esse videatur, ad Ciceronem revertamur.

Ex Vareni defensione quæ prima supersunt nos sola docent quanta accuratione quantaque calliditate rem Tullius invenerit ac composuerit, ita ut, in hac privata causa, eam citius veteratoriam quam oratoriam artem diceres. Etenim, quoniam criminibus adeo manifestis urgeretur Varenus ut judices eum absolvere nequaquam possent, orationis suæ principio captare misericordiam omni ope Tullius conabatur, solitudinem rei, adversariorum autem calumnias et factiones memorando. In hoc autem animadvertitur delectationis aucupium et quadrandæ orationis quædam industria. Nam, quia suaves gravesque sententiæ, si inconditis verbis efferuntur, plerumque offendunt aures, et verborum et sententiarum pondere æque Cicero utitur : modo enim curta adamat, modo perfecto completoque verborum ambitu gaudet ; modo incisim tractat orationem, quod in veris causis plurimum valet, ut hoc in præmio orationis suæ : « Amici deficiunt, cognati de-

[1] Livius, epit. LXX. — Cicero, de Oratore, lib. II, c. XXVIII. — Cicero, Verrin, lib. V, c. I. — Quintilianus, lib. II, c. XV.

[2] Quintilianus, lib. VI, c. II.

[3] « Erucius hic noster Automiaster est. »

serunt; » modo tandem omnia, tanquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinet, ut in eodem loco : « In inimicissima civitate urgent, instant, insequuntur; studio, multitudine, pecunia, perjurio pugnant. » Posteaquam ita judicum præparaverat animos et prima aggressione occupaverat, non solum non anteactæ vitæ Vareni crimina expurgabat, quod plerumque vim proœmii habet, ut, ex Quintiliani sententia [1], id, de quo laturus est sententiam judex, audire propitius incipiat, sed ne narrationem quidem M. Tullius explicabat. In hac autem causa, ut facile intelligi potest, non quid frequentissime, sed quid tum expediret erat intuitus. Etenim tum objecta crimina negare et repellere, tum in extrariam partem, in Ancharii familiam transferre atque avertere conabatur, ita ut « prius his defensis velut initium esset alium culpandi narratio. » Ex hac autem orationis parte nihil emersit, et de narratione excerpta adeo rara exstant, ut non ex iis [2], sed ex Quintiliani testimonio, compertum habeamus Ciceronem non solum aperte et dilucide [3] sed etiam artificiose narravisse. Etenim in Institutione oratoria legimus referre quo quidque accusator modo dixerit, ut in actione adversarii inveniamus quæ inter semetipsa pugnent aut pugnare videantur ; quumque id exemplis egeat, hoc Vareni defensionis ante oculos proponitur, quo, pluribus propositionibus junctis, incredibilem rei esse ordinem et ipsa expositione nullam fidem habere Cicero demonstravit : « Quum iter per agros et loca

[1] Quintilianus, lib. VII, c. I.

[2] « C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate. » — « In præfectura Fulginate. »

[3] Quintilianus, lib V, c. XIII. Vide C. J. Victoris Artem rhetoricam, c. XVI : de Narratione.

sola faceret cum Pompuleno, in familiam Anchārianam incidisse dixerunt; deinde Pompulenum occisum esse; illico Varenum vinctum asservatum, dum hic ostenderet quid de eo fieri vellet. » Re demonstrata, ex oratoris officio, controversiam constituebat noster; et, quum non simplex sed conjuncta esset intentio, diversas propositiones jungebat [1] : « Lege de sicariis commisit L. Varenus; nam, C. Varenum occidendo et Cn. vulnerando et Salarium item occidendo, cadit. » De hoc autem nihil Quintilianus assumpsit; id tantum non semel sed bis laudat commendatque [2], quo quæ intendebantur ab oratore confirmabantur. « Interim, ait ille, judices et in narratione nonnumquam et in argumentis ut attendant et ut faveant rogamus; quo Prodicus velut dormitantes eos excitari putabat. Quale est : « Tum C. Varenus, is qui a familia Anchariana occisus est. (Hoc, quæso, judices, diligenter attendite.) » Et alias : « Brevior illa, ut ait Cicero, a re digressio plurimis fit modis; sed hoc, exempli gratia, sufficiet : Tum C. Varenus, etc. »

At, si in ceteris actionis partibus semper ita accommodatam rebus orationem M. Tullius adhibet, ut acerrimo dicendi æstimatori valde et unice placuerit, solet tamen, quum, breviter arguteque incluso adversario, laxavit judicum animos, quumque refutavit et fregit quæ contra dicebantur, audacius exsultare. Quid igitur mirum, si Quintilianus hunc in Vareni defensione jocum nostri oratoris notat designatque, qui, postquam accusatori id quod omnes detrahebant facete concesserat, imitatione Erucii ridicule indicanda [3], hoc belle

1 Quintilianus, lib. IV, c. I.
2 Quintilianus, lib IV, c. I, et lib. IX, c. II.
3 Quintilianus, lib. VIII, c. III.

pronuntiabat : « Erucius hic noster Antoniaster est ? » Quid mirum, si illud Cassianum [1], quod et pro Roscio et pro Milone noster usurpavit, quodque in omnibus causis ac personis semper valet, adversarium captandi irretiendique causa, verbis paululum immutatis, ita assumit : « Et cædes, si potissimum crimini datur, detur ei cuja interfuit, non ei cuja nihil interfuit ? » Quid denique mirum, si hic refellendi modus ad imitandum in Institutione oratoria proponitur, quum ex duobus, quorum necesse erat alterum esse verum, eligendi adversario potestatem Cicero dedit, effecitque ut utrum eligeret noceret : « Optio vobis datur utrum velitis casu illo itinere Varenum usum esse an hujus persuasu et inductu [2]. » Posthæc, extrema oratione, iis jam quæ pro se erant auctis atque amplificatis, quæque pro Erucio erant elevatis atque attenuatis, Ciceroni restabat, clientis conditione fortunaque ostentata, ut magno opere ad fletum judicem adhiberet. At, propterea quod ex Plinii testimonio [3] hanc Vareni defensionem jam non integram esse pro certo habemus, quia brevis et nuda quasi subscriptio criminum solis titulis indicabatur, nequaquam ex ista sola exclamatione : « Deum fidem ! » Ciceronis perorationem augurari licet, in qua naturalis quidam dolor semper eum dicentem incendebat, efficiebatque ut et incitata et gravis et vehemens esset oratio.

Summa ope Cicero, ut videre est, conatus erat ut animos hominum quam maxime conciliaret ad benevolentiam, quum erga oratorem, tum erga illum pro quo

[1] Cicero pro Milone, c. XIII, et pro Sexto Roscio Amerino, c. XXXI.
[2] Quintilianus, lib. V, c. X.
[3] Plinii junioris, Epistolæ, lib. 1, ep. XX.

dicebat orator; inter argumenta, quæ ex re certa ad infinitam transferri possunt, huic loco institerat, ut nihil credibile sit factum esse sine causa; tandem omnia effecerat ut is qui audiebat impetu quodam animi magis quam veritate et consilio daret sententiam : verum non semper oratori facile est judices inducere, decipere, iisque fucum facere : itaque Varenus, qui in omnibus aliis premebatur, frustra Cicerone repugnante ac reluctante, Erucio accusante [1], damnatus est.

[1] Quintilianus, locus jam citatus, lib. VII, c. II.

ORATIO QUUM QUÆSTOR LILYBÆO DECEDERET

Post Vareni defensionem, nulla interposita causa, ut ex libro, qui Brutus[1] inscribitur, affirmare possum, factum unanimi voce quæstorem Ciceronem Siciliensis excepit annus. At ex quæstura, qui primus honorum erat gradus, se eam gloriam comparaturum esse sperabat noster, ut populus Romanus ultro ipsi omnia statim esset delaturus. Itaque, ne nomen suum jam in foro celebratum, nulla autem majorum fama subnixum, elevaret aut macula inquinaret, cum summa benevolentia, cum summa temperantia, cum summa æquitate provinciam administravit suam. Ceterum non virtutem suam aliis prædicandam commisit ; verum, de more suo, in celeberrima[2] quadam oratione verbis pæne arrogantibus non solum gravissimam ac clarissimam fuisse quæsturam suam dicere ausus est, sed ea, quæ Lilybæi gesserat, singula enumeranda arbitratus est : « Frumenti (enim) in summa caritate maximum nume-

[1] C. xcii.
[2] Pro Plancio, c. xxvi.

rum miserat; negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus erat visus in omni officio diligentissimus. » At, si gratiam ex Siculis atque excogitatos honores inauditos non respueret, tamen ex quæsturæ laude, quod jampridem exoptabat, id est patrocinium Siciliense, repetere in animo habebat. Etenim, quamvis esset in plurimis causis et in principibus patronis versatus, se non cum summis civibus in æquo esse persuasum habebat; dumque omne tempus amicorum temporibus transmitteret, haud aliter ac veteres prosapiæ viri, cujusdam provinciæ clientelam habere gestiebat. Ergo, quia oculos acres atque acutos, memoriam autem hebetem socios et Romanos vectigales habere intellexerat, tum quum e Sicilia discessit, verbis ad extremum commendatam quæsturam suam efficere voluit; et, ex Asconii sententia, in illa oratione, quam Lilybæi habuit, multa Siculis benigne promisit. De hac autem concione unum superest fragmentum, quod ex Frontonis[1] quodam libro, qui elocutionum exempla continet, excerpitur. Quo allato, de mea quidem sententia, orationem habitam denuo instituere vel ædificare difficile est. Etenim, ad demonstrandam hanc locutionis formam : « Detrecto hanc rem, » hoc unum Ciceronis, « quod non detrectare militiam sed defendere judicata est, » citatur. Attamen haud ignoro quosdam viros eruditos[2] non nobis exponere dubitasse quomodo hanc orationem composuerit, qua arte excogitata disserendo illustraverit, quaque

[1] Vel de libro Arusiani Messii. Vide Fragmentorum Ciceronis editionem quam, morte Orellii interruptam, continuaverunt G. Baiterus et Car. Halmius.

[2] Vide M. T. Ciceronis fragmenta, curante et emendante N. E. Lemaire, in proœmio de Fragmentis.

diligentia suas rés gestas Cicero enarraverit; nos autem, qui hanc vanam et inanem esse operam judicamus, in eumdem errorem non delabemur, ne arrogantia aut perfacili translatione peccasse videamur. Verum, si hanc laudationem dilucidam efficere non tentavimus, ne tarditatis crimine nos arguere alicui liceat; etenim, quum de ea summi rhetores tacuerint, uno aspectu et quasi præteriens eamdem quisque æstimare potest.

ORATIO PRO P. OPPIO

Longe clarior est atque illustrior causa illa, quam pro P. Oppio Cicero egit, uno anno postquam e Sicilia se recepit, quum jam videretur illud in eo, quidquid erat, esse perfectum et habere quamdam [1] maturitatem. In hoc autem judicio eo diligentius elaboratam et tamquam elucubratam orationem affere voluit, quod illud actionis genus, quamquam proprium esse Oppii videbatur, ad totum [2] equestrem ordinem pertinebat, cujus auctoritate, copiis et firmamento fretus, claustra nobilitatis refringere ille cogitabat, ut non magis nobilitati quam virtuti aditus ad consulatum pateret. De P. Oppio pauca ex historicis excerpimus; tantummodo eum audivimus equitem Romanum, in bello Mithridatico quæstorem fuisse M. Aurelii Cottæ proconsulis, a quo, quod repetundarum insidiarumque suspicionem [3] sibi contraxerat, in Urbem erat relegatus. Verum, si ex oratione pro lege [4] Manilia quædam conjicere licet, ambo

1 Brutus, c. XCII.
2 Quintilianus, lib. V, c. XIII.
3 Dio Cassius, lib. XXXVI, c. XXIII.
4 Oratio pro lege Manilia, c. XXII.

isti magistratus, qui locupletes urbes *pacare* semper concupiebant, qui neque a pecuniis sociorum neque ab ornamentis fanorum se cohibebant, de urbium direptarum spoliis inter se quum lites agerent, ad tanta animorum certamina venerunt, ut vix a manibus sese abstinerent, atque Oppius, qui provinciam suam relinquere in animo habebat, « postquam orans, si Sallustio[1] credas, nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, a Cotta Volscioque » sit impeditus. Quamobrem, propter insidiarum crimen, a se removit quæstorem proconsul, eumque ex epistola[2] Romæ de majestate reum fecit. Attamen non statim, sed M. Aurelio Cotta ex Asia Romam reverso, hæc oratio habita est, et, proconsule testimonio suo Oppium urgente, quod is in victu[3] administrando exercitum fraudaverat, Cicero illius patrocinium suscepit. Jam omnibus satis apparet quam perdifficilis et lubrica hujus defensionis esset ratio : etenim non solum reum tutari nostro oratori necesse erat, sed etiam contra Cottam, quum rebus gestis et consulatu, tum gentis suæ et fumosarum imaginum commendatione notissimum, quædam gravia dicere ; ejusdem autem maxime intererat, quum primum honoris gradum sua vitæ laboriossima via esset assecutus, se non tantas simultates suscipere. Quam perite, quam scienter quamque prudenter has suæ causæ angustias ille superaverit ex Quintiliani quibusdam locis divinare licet, atque ex iisdem indiciis nobis in promptu est orationis inclytissimæ effigiem adumbrare.

Quum principia dicendi semper non modo accurata

1 Ex libro III historiarum Sallustii locus a Nonio prolatus.

2 Quintilianus, lib. V, c. XIII.

3 Quintilianus, lib. V, c. XIII.

et instructa sententiis sed etiam causarum propria esse debeant; quum impelli principio judicem leviter oporteat, vel permulcendo, vel alliciendo, vel occupando animum, ita ut jam inclinata reliqua incumbat oratio, longo proœmio officii sui [1] necessitatem Cicero excusabat, ne studium defensionis ab accusatoribus reprehenderetur. Quis istius præfationis fuerit color et Murenæ defensio, in qua noster non oblitus est se contra amici studium pro amici periculo dicere, et pro Plancio oratio contra Laterensem, cum quo jam diu erat Ciceroni certum amicitiæ vinculum, nos abunde docere potest; eam autem eo magis desideramus, quod in Institutione oratoria cum quadam laude probatur et discipulis commendatur [2]. Posteaquam ita judicum mentes præparaverat, statim ad id, quod caput erat orationis, veniebat : scibat enim res hoc postulare, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur, ne multo plus sit in reliqua causa laborandum. Objiciebatur autem Oppio quod de militum cibariis detraxisset; verum, quamvis esset asperum crimen, id contrarium ostendere Cicero non gravatus est, quia iidem accusatores Oppium insimulaverant, quod is [3] voluisset exercitum largiendo corrumpere. Quæ quidem, sine dubio, graviter, varie atque etiam facete exponebat explicabatque; sed ex hac orationis parte nulla supersunt, ac conjectura et comparatione, ut de ea judicemus, nos utamur oportet. At non solum majestatis crimen diluere atque omnia falsa maligneque ficta ostendere debebat; insidias etiam, quas Oppius Cottæ fecisse arguebatur, purgari erat necesse. In hoc

[1] Quintilianus, lib. XI, c. I.
[2] Quintilianus, lib. XI, c. I.
[3] Quintilianus, lib. V, c. XIII.

autem loco sese noster efferebat, siquidem Quintilianus dicat infinitum esse enumerare [1] ut Cicero Cottæ detraxerit auctoritatem. Primum, ut omnium acerrimum longe omnium invidiæ motum in Cottam excitaret, quam esset actio crudelis ostentabat, propterea quod Oppius ex superba proconsulis [2] epistola reus esset factus; neque id erat difficile : invidetur enim sæpe superioribus, si intolerantius se jactant et æquabilitatem juris præstantia dignitatis transire volunt. Verum non minus Oppii luctuosa conditio quam ineptia infantiaque accusatoris Ciceroni præfuit. Iste enim modo argumentis adversarii sese implicitum irretitumque sentiebat, quum, ex duobus alterutrum eligendi lege imposita, necessario fieret ut utrum elegerit ipsi noceret, ut in hoc : « Utrum quum [3] Cottam appetisset, an quum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est? » Modo consequentia, quæ quadam ex parte accusationem infirmabant evertebantque, attonitus invitusque audiebat, ut illud defensionis : « Quos [4] educere invitos in provinciam non potuit, eos invitus retinere qui potuit? » — Modo tandem, non sine molestia, adversarium communi argumento, quod statim evadebat contrarium, bene utentem ita videbat : « At [5] enim verisimile non est tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc verisimile est tantum scelus Oppium esse conatum? » Attamen non satis erat accusatoris argumenta suis argumentis Ciceroni diluisse, eidem restabat ut misericordiam moveret, ut ad fletum

[1] Quintilianus, lib. VI, c. VI.
[2] Quintilianus, lib. V, c. XIII.
[3] Quintilianus, lib. V, c. X.
[4] Quintilianus, lib. V, c. X.
[5] Quintilianus, lib. V, c. XIII.

judicem deduceret, ut, quod plurimum pollet, animos quodam dolore perfunderet. Ergo de more[1] suo, postea-quam se in communionem Oppii temporum contulerat, si quædam asseverare possum ex hoc de Frontone excerpto : « Questusque mecum est, » illuminate dicebat quam durum, quam acerbum, quam inhumanum esset nos ab iis oppugnari, quorum consiliis freti esse deberemus. At, quo hunc locum ornando magis augeret atque amplificaret, a propria et definita disputatione hominis ac temporis ad communem quæstionem universi generis orationem traducebat, ut hæc ex Ammiano[2] Marcellino sumpta sententia abunde nobis probat : « Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis; parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit. » Quod si nunc judicare velimus qua gravitate, qua vi, quo animi motu hanc orationis partem noster tractaverit, illud orationis pro [3] Murena intueri et memoria retinere oportet, quo affirmat semper Romæ nimis magnis accusatorum opibus et populum universum et sapientes ac multum in posterum prospicientes judices restitisse. Verum, quasi causæ eventum jam cognovisset, non solum illud acute sed etiam ridicule agebat ac facete; et dicendi ratio egregia cum summa festivitate et venustate conjungebatur. Etenim in nono libro Quintilianus, quum de lepore ac dicacitate disserit, hanc contrariam dicendi quam quæ intelligere velis rationem, ut ille pro Oppio locus : « O amorem mirum ! o benevolentiam singularem ! » vehementer laudat et comprobat. Causa erat dicta et perorata,

[1] Vide Plancii, Sestii et Milonis perorationem.
[2] Lib. VII, c. I.
[3] Pro Murena, c. XXVIII.

sed « plus proficit orator, si proponitur spes utilitatis futuræ quam præteriti beneficii commemoratio » : ergo non affirmare dubitamus, ut in animis audientium aculeos relinqueret, Ciceronem gravissimum ac firmissimum argumentum in novissima perorationis parte reservasse, quum judices moneret, ne illud actionis genus in equestrem [1] ordinem admitterent. Optima, ut videmus, orationis erat conclusio ; et, judicibus conniventibus, eques P. Oppius fuit culpa liberatus.

[1] Locus jam citatus.

ORATIO PRO C. MANILIO

Ex Oppii defensione usque ad orationes pro C. Manilio ac pro M. Fundanio septem anni effluxerunt, per quos causas agere et quasi in foro habitare Cicero non destitit. Neque id mirum. Postquam enim, propter Siciliæ patrocinium, designatus ædilis cum Hortensio designato consule, qui patronorum Romæ tunc erat princeps et habebatur, venerat in certamen; eumque eloquentiæ novo genere, dicendi copia et ardore, stupente, ut ita dicam, civitate, devicerat, in se omnium oculos, benevolentiam et studium converterat : inde auctoritas, fides atque in foro nomen celebratum. Ergo, propter assiduitatem in causis et industriam, propter laborem in privatorum periculis caste integreque versatum, propterque imprimis orationis pro Sexto Roscio Amerino memoriam, ex judicio populi Romani fructus consecutus est amplissimos. Etenim, ubi ætas eum a maximis honoribus diutius abesse non sivit, post ædilitatem, incredibili populi voluntate, ter prætor pri–

mus centuriis cunctis renuntiatus est [1]. In hoc anno, quum in eo jam esset ut magistratu suo perfungeretur, C. Manilium defendit. Ex hac causa tantummodo unus exstat versus, qui non lucem optatam nobis afferre potest. Inter enim eruditos viros de re simul ac de reo controversia est, quum Patricius, qui ad omnia suspicanda, ut vim suam excogitandi ostenderet, conjectura ductus est, credere videatur a Cicerone Manilium illum defensum esse, qui judicium Cornelianum per operarum duces turbaverat, Cominiisque accusatoribus mortem intentasse dicebatur ; dum noster vir doctissimus, in omnibus antiquitatis libris multum et studiose volutatus, Victor Leclerc, non solum non fidem Asconio adhibet, sed affirmat de C. Manilio agi, qui, teste Plutarcho, repetundarum reus fuit, Cicerone prætore, a quo, populo efflagitante, defensus est. Cujus quidem opinionem sequi non dubitamus ; nam is, cujus Asconius mentionem facit, non Caius sed Marcus appellabatur ; ac populi Romani Ciceronisque in C. Manilium voluntas non erat dubia, propterea quod tribunus ille plebis legem tulerat, qua ad bellum Mithridaticum Pompeius erat deligendus et mittendus ; eamque, Hortensio et Catulo frustra repugnantibus [2], non solum vehementissime laudaverat Cicero comprobaveratque [3], sed etiam ornatissima et copiosissima oratione confirmaverat. Ceterum, ut ex grammaticorum ac rhetorum silentio intelligi licet, non illa inter nostri oratoris conciones in magno honore habebatur, atque in hoc loco quæri potest cur illud orationis : « Hic ego non solum

[1] Oratio pro lege Manilia, c. I.
[2] Oratio pro lege Manilia, c. XVII et XVIII.
[3] Oratio pre lege Manilia, c. XXIV.

confiteor verum etiam profiteor » in lucem edere Nonius maluerit, quum ex orationibus pro Cecina [1] et pro Rabirio [2], quæ longe erant illustrissimæ, easdem locutiones excerpere potuisset.

[1] C. IX : « Quid, confitetur atque ita libenter confitetur, ut non solum fateri sed etiam profiteri videatur. »

[2] C. V : « Quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor et præ me fero. »

ORATIO PRO M. FUNDANIO

Paulo gravior atque illustrior fuit M. Fundanii defensio, eodem anno, si grammaticis omnibus fidem adhibere debeamus, habita. Quod si hanc semel [1] tantum notavit designavitque Quintilianus neque laudibus vel minimis exornavit, ne ideo tamen eamdem aut virtute aut pondere ac momento omnino caruisse credamus; contra autem illud asseveremus, scilicet Institutionis oratoriæ auctorem, inter diversissimas illas causas, quas pro repetundarum reis M. Tullius egerat, modo pro M. Fonteio, modo pro L. Flacco orationem potiorem habuisse. Ex iis, quæ rara supersunt, fragmentis, ne corpus quidem defensionis illius adumbrare nobis facile est; verum quibus criminibus premeretur M. Fundanius quaque ratione esset defensus nequaquam difficile est conjicere. M. Fundanius, qui, ut Q. Cicero scribit in libro de Petitione consulatus [2], ad ambitionem vir gratiosissimus erat, in provincia

[1] Quintilianus, lib. I, c. VI.
[2] De Petitione consulatus, c. V.

administranda non solum neque innocentia neque temperantia neque abstinentia inclytus fuerat ac commendandus, sed, propter avaritiam aut inopiam, ita Arcadas vexarat expilaratque, ut eum, magistratu habito, Romæ de repetundis in judicium vocare non dubitarint. Tantam autem audaciam nec soli nec deserti præ se ferebant; sed, viri cujusdam gravissimi auctoritate, qui firmamentum et robur totius accusationis erat. subnixi, toto foro, non supplicibus similes, incedebant. Quis autem Arcadum sese patronum ac propugnatorem profiteretur non hoc ex loco dignoscere possumus : « Descripsisti-ne ejus necessarium, nostrum competitorem, istum ipsum, cujus nunc studio et gratia tota accusatio ista munita est; » et, quamvis illud : « Quasi vero ego de facie tua, Catamite, dixerim, etc. » vel C. Antonii vel L. Sergii catilinæ proprium esse videatur, quum in fragmentis ita tantummodo competitorem suum M. Tullius appellaverit, molestum imprimis et stultum esset nobis de ista orationis parte quædam affirmare. Si, ea mente ut judicibus M. Fundanii innocentia pateret ac dilucida fieret, illos, qui huic rei obstabant, injuria et contumelia afficere Cicero non timuerit, haudquaquam mirum est eum cum quadam festivitate non solum gentis universæ elevasse testimonia, sed etiam adversus singulos, quo facilius hilaritatem excitaret, direxisse. Semper in lacessendo oratoris acumen judicis severitatem mitigat relaxatque, odiosasque res sæpe, quas argumentis diluere arduum est [1], joco risuque dissolvit. Quomodo autem vel Græcorum in testimoniis dicendis vanitatem agitare Cicero gravatus esset, quum isti, utpote qui essent Arcades,

[1] De Oratore, lib. II, c. LVIII.

se proselenos [1] esse asserebant, id est, ante lunam natos, quumque testis [2] quidam ne primam quidem litteram nominis illius, contra quem testimonium erat dicturus, pronuntiare posset? Quem jocum, si testis istius infantia ita effingeretur ut insigni ad irridendum vitio appareret, sine dubio grate Romani audituri videbantur; sed, quanquam hilaritas sæpe benevolentiam conciliat ei qui movet, ipsumque oratorem politum esse hominem significat, miseria [3] insignis non agitata ridetur; et, si Arcades linguam latinam rustice vel hiulce pronuntiarent, non ideo judicatum accusationem eorum inanem efficere debuisset, et nescio an Ciceroni facilius esset deridere Græcos quum Fundanii, quem tamen judices absolverunt, integritatem ostentare ac probare.

1 Servius, ad Georg., lib. II, v. 342.
2 Quintilianus, lib. I, c. VI.
3 De Oratore, lib. II, c. LVIII.

ORATIO PRO C. CORNELIO. I

Insequenti anno, quum prætura non sine laude esset perfunctus, C. Cornelii patrocinium Cicero suscepit; et, concursu totius civitatis facto, eam egit causam, quæ semper imprimis nobilissima est habita. Attamen, ex Plinii testimonio [1], quod Cornelii Nepotis affirmationi adversatur [2], defensionem litteris ita mandavit, ut eam recisam ac purgatam in duos libros coarctaverit. Verum, quanquam æquales ipsi hanc integram in manibus non habuisse videntur, quum hodie majore ex parte amissa sit, immensum damnum latinas inde fecisse litteras ante omnia affirmare non dubitamus : meminimus enim non solum Ciceronem ipsum illam omnibus eloquentiæ laudibus abundantem Bruto suo commendasse, sed etiam Quintilianum in eadem approbanda exsultasse, et, ut ita dicam, exarsisse, quasi non conatus atque adumbratio, species autem et summæ eloquentiæ perfectio ante oculos staret. Sed in

[1] Plinius, Epist., lib. I, ep. xx.
[2] In Corn. Nep. frag. Ed. Bardili. t. II, p. 344.

hac laudatione principio morari non decet; et, quum ex elegantissimo Asconii commentario quæ ista causa fuerit, quaque prudentia et moderatione hanc Cicero tractaverit intelligi possit, nobis necesse est ut statim ea, quæ jam dicturi sumus, ab hoc fere mutuemur.

Biennio ante quam in judicium vocatus est, C. Calpurnio Pisone, M. Acilio Glabrione coss., C. Cornelius tribunus plebis fuerat; et, dum tribunatum gerebat, non modo suis rogationibus inimicum atque infensum sibi effecerat senatum, sed etiam ita obstinatum ac pervicacem, vincendi cupiditate, sese præstiterat, ut omnibus appareret eum, anno magistratus exacto, accusationem nequaquam effugere posse. Primum ad senatum retulerat, quum pecunia apud exterarum gentium legatos magno fenore locaretur, ne quis ita pecuniam mutuam daret; at, quum plerique senatores hac nova sociorum et vectigalium expilatione sibi maximas divitias conflarent, istam legem senatus rejecit ac repudiavit. Qua injuria commotus inflammatusque, Cornelius paulo post legem promulgavit, ne quis nisi per populum legibus solveretur. Illud, ut ait Asconius, antiquo jure erat cautum; sed paulatim, propter plebis inscitiam optimatumque aviditatem, primum eæ res ad populum ferri desierant; ac postremo ne adjiciebatur quidem in S. C. de rogatione ad populum ferenda; ad hoc, ex perpaucis, apud quos, ut ait Sallustius[1], reges, tetrarchæ vectigales erant, hæc omnia pendebant; et sibi odium individiamque potentissimorum civium, propter gratiam eorumdem imminuendam, statim Cornelius concitabat. Ii autem, artium, quibus populum allicere ac delinire facile est, peritissimi, non commi-

[1] Conjuratio Catilinæ, c. xx.

serunt, ut huic rogationi ipsi obstarent, sed Cornelii collegam, P. Servilium Globum, invenerunt, qui ipse intercederet atque ita populares inimicitias sibi susciperet. Ea res non Cornelii impetum fregit; et, quum vetaret Globulus ne præco legem pronuntiaret, ille e manibus scribæ arreptum codicem contenta voce perlegit. Nequicquam consul Piso tolli hoc modo tribuniciam potestatem clamavit; nequicquam, conviciis populi exceptus, prehendi a lictore Cornelii fautores jussit, multitudo Cornelium plausu approbavit; imo fasces consulis fracti, lapidesque in eum fuere conjecti, atque adeo tumultuatum est, ut concionem tribunus ipse dimitteret. De ea re actum est in senatu, et Cornelius aliquid legi suæ immutavit, non ita ut optimatibus satisfaceret, sed ita ut auctoritatem senatus salvam efficeret atque incolumen. Ceterum, quasi simultates eorum et minas irrideret, aliam legem tulit, quæ gratiam ambitiosis prætoribus tollebat, quaque hi magistratus ex perpetuis edictis suis jus dicere debebant, nec desiit multas istius modi rogationes promulgare, quibus autem plerique collegæ intercesserunt. Tribunatu peracto, fratres Cominii Cornelium ad judicium protraxere; sed, die dicta, quum prætor P. Cassius, seu de industria, seu sui muneris perfungendi causa, non adfuisset, ita in accusatores concitata plebs exarsit, ut perniciem vix effugerint, ac, clausi totam noctem in scalis, per tecta vicinarum ædium urbem derelinquere conati sint. Verum, quanquam suum silentium ipsi vendidisse arguebantur, insequenti anno, L. Cotta, L. Torquato coss., præsidio Hortensii, Catuli, Q. Metelli, L. Luculli, M. Lepidi confirmati, reum, lege Cornelia de majestate, Cornelium iterum fecerunt; atque ipse, perterritus C. Manilii exitu, de quo pauca

ex Asconii commentario jam supra diximus, Ciceronem, patronorum principem, statim elegit. Ille, vir prætorius et consulatus jam appetens, non ignorabat sibi esse necesse ut nullum e civitatis optimatibus, qui testimonium dicebant, læderet; sed in judicium, et P. Globuli, qui legem ferenti Cornelio quondam obstiterat, auxilio, et Pompeii opibus, quem de cœlo delapsum homines jam intuebantur, fretus subnixusque, incedebat ; præsertimque ipsa vi atque impetu dicendi confidebat, quo sæpe adversarios de statu dejecit. Tandem omnia, quæ magno opere ad crimen imminutæ majestatis tribuniciæ pertinere testes affirmabant, confiteri et profiteri ausus est [1] : quæ quidem fiducia Cornelium eripuit.

Si ex multis variisque indiciis quis fuerit reus ille Cornelius cognoscere potuimus, de P. Cominio accusatore vix apud antiquos scriptores una exstat mentio. Etenim tantummodo in hoc Ciceronis libro [2], qui Brutus inscribitur, dicendi genus Cominii compositum, acre et expeditum fuisse legimus : quæ quidem laus equitem illum non ausum esse aliquando stantem loqui, sed tum probabilem tum probatum oratorem fuisse docet. Verum illud Ciceronis judicii vel potius benevolentiæ testimonium amplificare aut exornare minime licet, præsertim quum in oratoribus romanis commemorandis ne ullum quidem rabulam præterire in animo habuerit. Attamen, si defensionis fragmenta cum quadam diligentia scrutari voluerimus, accusationem satis vendibilem fuisse dijudicabimus, ac sententiæ Asconii assentiemur, qui fatetur, propter ipsam, Cominii ora-

[1] Quintilianus, lib. VI, c. VI.
[2] Brutus, c. LXXVIII.

tionem sumere in manus aliquod operæ pretium esse. Primum omnium, ut judices præoccuparentur atque e præteritis recentiora æstimarent, non solum Cornelii tribunatum Cominius exagitabat; sed etiam ceteram vitæ rationem objiciebat, ut ex hoc conjicere licet : « Objecta est paulo liberior vita. » Præterea in inveniendis componendisque rebus accurationem quasi veteratoriam præ se tulerat, si, non jocandi causa, illud asseverarit Cicero : « Ejusmodi duos laqueos in causa esse propositos, ut, si me altero expedissem, tenerer altero. » Denique, quum de Majestate dicebat, quod quidem caput erat accusationis, acri et vehementi oratione, in omni genere amplificationis exardebat ; nam Quintilianus [1] Ciceronem imprimis laudavit, quod eamdem rem verbis mitioribus protulerit. Verum, ne digrediendi causa propositum obliviscamur, ad primam orationem, qua Cornelium purgaturus erat M. Tullius, revertamur.

In principio, quod causæ pro portione rerum semper proponi debet, dicendi gravitate suam defensionem statim Cicero commendabat. Etenim, sive morem institutumque majorum imitari vellet, seu, quum de jure majestatis oraturus esset, contentionis magnitudinem hominumque exspectationem pertimesceret, suam orationem numina invocando ita inchoabat [2] : « Ut ab Jove

[1] Quintilianus, lib. V, c. XIII, et vide C. J. Victoris Artem rhetoricam, c. XIII : de Propositione.

[2] Cf. Demosth. in orat. de Corona. — Ciceronem in Divin., c. Cœcilium, c. XIII. — Ciceronem in P. Vatinium, c. VI, Ciceronem in orat. pro Rabirio, c. II. — Titum Livium, lib. XXIX, c. XXVII. — Servium, Commentar. ad Virgil., Æneidos, lib. VII, v. 256 et lib. XI, v. 301. — Valerium Maximum in Prologo et lib. V, c. X, de Æmilii Pauli oratione, quam de rebus a se gestis habuit. — Velleium, lib. I, c. X, de eadem Æmilii Pauli oratione. — Symmachum, Epist., lib. III, ep. 44. — La Fontaine, liv. XI, fab. VII : le Paysan du Danube.

Optimo Maximo ceterisque diis deabusque omnibus opem et auxilium petamus. » Postquam eo modo permulserat ac leviter impulerat judicum animos, causam exponere suam incipiebat ; verum non eam dispositionem, quam afferebat rerum et temporum ordo, sed illam, ex Marciani Capellæ testimonio [1], adhibebat, quæ artificialis judicio et prudentia oratoris comparatur. Etenim non gravissima primum emoverat ; at antea crimina, quæ secuta sunt tribunatum, refutaverat, posteaque ad ipsum tribunatum reverterat. Verum ex illa orationis parte minima supersunt ; nam, si Quintiliano credamus, præfatione uti debuerat[2], ne id, quod non initio diluebat, timere videretur. Ad hanc, ex omnium sententia, hoc primum ab Asconio servatum pertinet : « Postulatur me prætore, etc. » Ast, antequam circa omnia momenta luctaretur, mirabatur Cicero quod Cominius ab accusatione hodie non desisteret ; et, quia exemplorum prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem, celeberrimam Metelli ac Curionis contentionem verbis magnificis commemorabat. Tum varia crimina refellebat modo brevi argumentatione non sine dignitate et cum lepore ut in hoc : « Legem, inquit, de libertinorum, etc. ; » modo perspicua narratione, quæ verbis usitatis atque ordine temporum conservato non displicebat, quum de tribunatu Manilii et defensione aut de disturbato judicio Maniliano diceret. Quo in loco sine dubio, si Manilium tribunum plebis hanc legem tulisse, qua bellum Mithridaticum Pompeio committeretur administrandum, meminerimus, ut populi aures delectaret et semel postea

[1] Marcianus Capella, de Rhetorica, p. 424.
[2] Quintilianus, lib. VII, c. I.

in se certam viri illius voluntatem efficeret, Cicero Pompeium composite exornabat : hanc autem defensionis partem amisimus, et eo magis desideramus amissam, quod eam ita verbis exaggerat Quintilianus [1] : « Pro C. Cornelio popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio, in quam ille divinus orator, velut nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoaverat sermone, devertit actutum. »

In levissimis detracta prius accusatoribus fide, ultima vel potius gravissima, id est, tribunatus crimina objecta Cicero aggrediebatur. Postquam majestatem, quæ est in imperio atque in omni populi Romani dignitate, definierat, ne vagari et errare cogeretur oratio, quid esset majestatem minuere, si Boethio credamus [2], tractabat, « quod malam legem tulerat Cornelius, quod legendo codicem intercessionem sustulerat, quod seditionem fecerat. » De primo crimine duplici ratione Cornelium Cicero purgabat. Nam cum summa diligentia primo leges perniciosas enumerabat, quas prudentissimi ac sapientissimi homines aliquando tulerant, ut ex iis fragmentis divinare possumus : « Possum dicere, etc. — Possum et ejusdem, etc. — Legem Liciniam, etc.; » et deinde affirmabat nihil senatui detraxisse Cornelium, quum quædam essent genera, in quibus per senatum more majorum statuebatur aliquid de legibus, quod hic locus revera nos docet : « Quatuor omnino genera sunt, judices, etc. » Hanc suæ defensionis partem, ut opinor, confirmabat Cicero, P. Africanum superiorem memorando non solum ipsum

[1] Quintilianus, lib. IV, c. III. Deerrasse mihi videtur « du Rozoir, » quum affirmat in hoc loco illam Pompeii laudem Quintilianum designasse, quam in oratione pro L. Cornelio Balbo (c. IV, seq.) legimus.

[2] De Differentiis Topicis. Vide argumentum Sigonii.

deerrasse, sed etiam a semetipso sæpe accusatu messe, quod passus esset a populari consessu senatoria subsellia separari. Quæ quidem verba, quanquam cum quodam loco orationis illius de Aruspicum [1] responso adversantur ac repugnant, non obstupescere legendo debemus, propterea quod apud populum hanc Cornelianam concionem Tullius haberet, atque idem nos semel ac sæpius docuerit auditorum prudentiam [2] semper fuisse eloquentiæ oratorum moderatricem.

Restabat res dictu et prolatu difficillima, scilicet lecti codicis excusatio atque imminutio. Qua arte et scientia orationis demonstraret Cicero non ita enervatam esse tribuniciam potestatem mirabatur Asconius; atque e quibusdam fragmentis conjicere adhuc licet quomodo paulatim atque, ut ita dicam, pedetentim ad enormem istam sententiam judices adduxerit ac præparaverit. Non committebat ut ea, quæ Cornelius fecerat, fateri recusaret; nam, ubi vinci necesse est, expedit cedere; sed omnia explicabat dilatabatque, propter quæ Cornelius neque Globuli intercessionem suspicari neque iracundiam quadam animi perturbatione cohibere potuerat. Etenim, dum legem trinundinum promulgabat reus [3], collega ejus totos dies huic assentiri visus erat; præterea, die dicta concionis, quum lex ferretur, omnia loca intercessionis idem præterierat [4]; denique tantummodo intercesserat, ubi legem pronuntiare præco inceperat: inde Cornelius sibi necesse esse crediderat ut codicem attingeret [5]. At, ut istud crimen

1 De Aruspicum responso, c. XII.

2 Cicero, Orator, c. VIII.

3 « Ex promulgatione, » etc.

4 et 5 Vide Quintilianum, lib. V, c. XIII, et Ciceronem in Vatinium, c. II. — « Est utique jus velandi, » etc.

certius infringeret atque elevaret, statim ea comparatione noster utebatur, qua nec liberos nec sui potentes animos judicum efficeret. Memorabat enim quomodo vir fortis Aulus Gabinius non esset passus « plus unius collegæ sui quam universæ civitatis vocem *valuisse* et voluntatem [1] : » quod sine dubio majus erat quam codicem legere. Sub hujus argumentationis fine, ut ex quodam fragmento affirmare audemus, senatum interpellabat, qui [2], legem istam paululum emendatam accipiendo, non solum Cornelium absolvere sed etiam comprobare visus erat.

Hunc locum, quem vix adumbrare, adeo manca supersunt fragmenta, potuimus, sine dubio narratio ea sequebatur, de qua nullam mentionem Asconius fecit, quaque Cicero seditionis crimen in operarum duces avertebat. At, si verisimile est eum, quid gestum esset narrando, omni ope esse connisum ut jucunda et ad persuadendum accommodata illa pars orationis esset, nihil tamen aut ex hoc : « Cœptum igitur per eos, qui agi volebant, desitum est per hunc, qui decessit ; » aut ex illo : « Circumitis rostris ejicerentur lapidibus homines » conjicere vel affirmare licet. Ergo nequaquam molestum erit, si hæc, quæ nemini speciosiora visa sunt, quasi prætereuntes æstimaverimus.

Posteaquam summa obstacula, ut videre est, dicendi moderatione et artificio devicerat Cicero, quasi omnia genera orationis in ea actione congerere voluisset, et legem de jure prætoribus dicendo et legem Cornelii de ambitu laudabat atque extollebat. At ex fragmentis, quæ ad istam defensionis partem pertinent, apparet

[1] « Unum tamen, » etc.
[2] « At enim de corrigenda, » etc.

eum non quæstionem a propriis temporibus ad universi generis orationem traduxisse, tantum autem ostentasse quam utiles, quam salubres civitati leges illæ exstiterint, modo enumerando quæ inde evenire potuissent [1], modo ante oculos duorum consulum designatorum calamitatem proponendo. Præterea hoc in loco cum mira accuratione in actione adversarii, quod artificis est, quæ inter semetipsa pugnabant, eruebat inque lucem edebat. Etenim, quia objiciebat Cornelio Cominius quod ille extremi ac difficillimi temporis vocem illam consulem mittere coegerat [2], quum Piso « legem de ambitu ex S. C. graviorem ferret, et propter, ut ait Asconius, multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro ejectus esset, » repugnare probabat Cicero « ut divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere ; » et, singulis criminibus ita eversis, cum maxima fiducia petere ab accusatore poterat cui gratificatus esset Cornelius aut homini aut ordini.

Verum non Cicero in hac causa vere eloquens fuisset, si tantummodo leniter, presse, distincte, facete dixisset ; itaque, quum magnam partem orationis sciret admovendam esse ad animorum motus aut cohortatione aut commemoratione aliqua aut in metum aut ad gloriam concitandos, sub fine orationis suæ, incensis ardentibusque verbis, plebem ex Manilia offensione victam et domitam prædicabat, ac summis laudibus exornabat illorum virtutem plebeiorum, qui quondam in Aventino consederunt [3], armati in Capitolium venerunt, decem

[1] « Iidem nisi hæc ipsa lex, » etc. — « Antea vero quam, » etc. « Non Cn. Dolabella, » etc. — « Tuum quum hunc populus, » etc. — « Ut spectaculum illud, » etc.

[2] « At enim extremi, » etc.

[3] « Tanta igitur in illis, » etc. -- « Tum interposita fide, » etc.

tribunos plebis creaverunt. Quid igitur mirum, si hanc eloquentiam populus suspiceret, admiraretur, maximoque plausu exciperet? Nonne enim delectabatur simul ac permovebatur, quum ample, copiose et graviter eas leges, quæ justissimæ libertatis principia confirmabant, M. Tullius enumeraret, quumque in istos nobiles[1], qui inimicissimi infensissimique erant plebis fautoribus, cum summa vi inveheretur?

Reliquus erat epilogus, in quo, si novissima fragmenta, quæ servavit Asconius, propria perorationis esse videantur, non illo impetu ferebatur Cicero, quo facile, propter quemdam animi dolorem, ut jam supra dictum est, excellebat; sed, quod fidem facit, fiduciam maximam præ se ferebat, tanquam de causa sua optime sentiret. Ad hæc, quo facilius reum indemnatum judices dimitterent, in memoriam eorum revocabat hominem, ut ipse ait[2], diis et nobilitati perinvisum, Cn. Pompeium, qui causam lege Varia de majestate dixerat, eratque tamen, ut opinor, absolutus. Verum, propterea quod semper in perorando audientis animum aut incitare aut lenire conaretur Cicero, hanc opinionem tantum vendibilem esse confitemur, atque hoc unum affirmamus, scilicet, in iis fragmentis, quæ undique Baiterus diligentissime collegit, illud quod Græci παθητικόν nominant, quoque perturbantur animi vel concitantur, neque eminuisse neque a nobis esse animadversum.

[1] « Qui non modo cum Sulla, » etc.
[2] « Memoria teneo, quum primum, » etc.

ORATIO PRO C. CORNELIO. II

In priore oratione, quæ longior erat, omnia, quibus crimina Cornelio objecta refutare atque evellere poterat, congesserat M. Tullius : restabat autem ut nobilissimorum virorum testimonia elevaret extenuaretque : quam quidem argumentationem non in actionis perpetuitate fundere voluerat, sed in orationem secundam, ut ipse sæpius in Oratore testatur, de industria rejecerat. Ex ea rara exstant fragmenta : attamen qua ratione quaque via accusatores et testes insectaretur, divinare non difficile est. Ante omnia, ne, cum clarissimis viris dimicando, temere inimicitias adiret, defensionis conditionem necessitatemque excusabat, sicut ex hoc fragmento apparet : « Pugnem aperte contra (etc.). » Deinde, quia multum in causis persæpe lepore et facetiis proficitur, stultitiam non testium sed accusatoris paululum exagitabat. Verum in jocando moderationem summam adhibebat, et caritati adversarii[1], si quidem nostro summam dicacitem inesse non

[1] « Ne hos quidem equites Romanos, amicos nostros..., C. Cominium. » Brutus, c. LXXVIII.

obliti simus, dignitatique parcebat : quod sine dubio hæc duo fragmenta nos docent : « O callidos homines (etc.), » et postea : « Num in eo, qui sint hi testes (etc.). » Quod ad testium auctoritatem attinet, utrum separatim an gregatim eam imminueret infringeretque affirmare non possumus ; quanquam verisimile est alium testem super alium a Cicerone appellatum esse atque interrogatum, non solum propterea quod reo[1] dissolvere argumenta et testimonia expedit, sed propterea quod unum ex viris consularibus callidissimis quæstionibus, quæ non erant Cornelio inutiles, urgebat implicabatque, ut in iis : « Sed si familiariter etc. — Quid, avunculus tuus, etc. — Quid ? idem, etc. — Hæc est controversia, etc. » At non Ciceroni satis erat gratiam et fidem civium nobilissimorum ac ditissimorum impugnare ; ut populi voluntatem ad summum honorem adipiscendum sibi conciliaret, totum se indicabat atque affirmabat se non divitias, non cælatum aurum, non villarum ornamenta concupere, sed reorum defensioni[2], amicorum periculo, reipublicæ dignitati laboriosissimam vitam suam semper transtulisse : inde cum adversariis comparatio necessarie sequebatur, quæ nimirum ad vincendum maxime valuit. Quomodo ex hac orationis parte ad perorationem M. Tullius transiret, inter doctissimos viros nullus est qui conjicere ausus sit. Verum e quibusdam fragmentis[3] atque e quodam Severiani loco, quem citat Sigonius[4], perorando non solum efficiebat ut ad misericordiam judices adduce-

[1] Quintilianus, lib. V, c. XIII.

[2] Hoc fragmentum significamus : « Num neque me divitiæ movent, » etc.

[3] « Ad miserrumum crudelissumumque, » etc. — « Quam diligentes libertatis, » etc. — « Si vos hujus fortunas, » etc.

[4] « Misericordiam movemus, quum alicujus calamitates commemoramus, quum magnitudinem periculi ostendimus, sicuti pro Cornelio Cicero. »

rentur, sed etiam ut, de suis rebus anxius ac sollicitus, aperte reo faveret populus Romanus : haud aliter in oratione pro Murena judices idem hortabatur ut otio, ut saluti, ut vitæ civium consulerent, et simul, spoliatione consulatus ostentanda, miseratione eos permovebat. Quo ingenio, quo animi dolore, quo spiritu incensus, in ea parte, in qua una regnat oratio, id est in peroratione, lamentatione forum ille compleret, ex multis miserationibus intelligere possumus ; attamen epilogum istum in manibus esse velimus, quia omnibus patet judices, ut ita dicam, ardentes non veritate aut præscripto sed vehementissima perturbatione mentis Cornelium absolvisse.

Has pro Cornelio nobilissimas orationes tentavimus exædificare, atque ex fragmentis nequaquam contextis ostendere quomodo rem Cicero exposuisset, sua confirmasset, adversaria evertisset et omnia peroratione inflammata conclusisset ; at qua cura, qua diligentia, quo artificio aurium voluptati morigerari ille voluisset, tantum ex plena integraque oratione indicare potuissemus. Neque hoc cuiquam aut vanum aut molestum esse videatur : nam ex Oratore[1] didicimus a summo oratore collocanda esse verba ut « aut inter se quam aptissime cohæreant extrema cum primis, aut ut ipsa concinnitas verborum conficiat orbem suum ; aut ut comprehensio numerose et apte cadat. » In Cornelianis autem orationibus has composite dicendi virtutes sine dubio assequebatur Cicero, quia, quoties probare voluerit nullam sententiam fructum oratori ferre, nisi apte expositam atque absolute, exempla modo incisim et membratim tractatæ[2] orationis, modo bene

[1] C. XLIV.
[2] De Oratore, c. LXVII.

structæ[1] collocationis, ab iis concionibus libenter atque imprimis mutuatus est. Quid igitur mirum, si Quintilianus, qui hanc Cornelii defensionem legebat edocebatque, et sonum ac numerum auribus superbioribus quam nos æstimabat, de ea hoc judicium, quod nemo non approbavit, in sua Institutione[2] oratoria tulerit : « An in causa Cornelii consecutus esset, docendo judicem tantum et utiliter demum ac latine perspicueque dicendo, ut populus Romanus non acclamatione tantum sed etiam plausu confiteretur? Sublimitas profecto et magnificentia et nitor et auctoritas expressit illum fragorem. Non tam insolita laus esset prosecuta dicentem, si usitata et ceteris similis fuisset oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec sensisse quid facerent nec sponte judicioque plausisse; sed, velut mente captos et quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc voluptatis affectum. » Ad hoc judicii testimonium nihil, ut opinor, aut debet aut potest hodie adjici.

[1] De Oratore, c. LXX.
[2] Quintilianus, lib. VIII, c. III.

ORATIO

IN SENATU IN TOGA CANDIDA
CONTRA C. ANTONIUM ET L. CATILINAM COMPETITORES

Post annum quam, Cornelio defendendo, studia eorum [1] qui conciones tenebant M. Tullius excitaverat, et C. Orcinium, virum gratiosum, cujus tempori dicendi facultatem suam [2] contulerat, in amicitiam adjunxerat suam, ex lege annali consulatum petere non dubitavit. Non ignorabat tamen præter consuetudinem atque inauditum esse hominem novum, ex equestri loco natum, summum honorem, cum nobilissimis duobus civibus, concupere atque optimum spei exitum exspectare posse; verum, propter virtutem, industriam atque eloquentiam, in qua semper Romæ præsidii plurimum fuerat, cum iis competitoribus, qui nequaquam erant tam genere insignes quam vitiis nobiles [3], certamen tentare ausus est. At, quum inviderant alii, quia Ciceronem consulem factum negligere non jam [4] poterant; alii, quia

[1] De Petitione consulatus, c. XIII.
[2] De Petitione consulatus, c. V.
[3] De Petitione consulatus, c. III.
[4] Vide Brutum, c. XCIII.

ipsos, consularibus familiis natos, ab Arpinato cive in magistratibus[1] adipiscendis devinci turpe erat; alii, quia se non æquo animo a collega derelictos sentiebant; alii quia in iis causis, quas ille egerat, se læsos ac vulneratos intelligebant; alii tandem, quia noster, Pompeii popularis semper fautor propugnatorque, ordinis equestris studio fretus, non solum civilem augere atque amplificare dignitatem, sed etiam illius regni Sullani ambitioni obsistere jam valebat, voluntates hominum ad se incitare, atque opprobriis, et, ut ita dicam, accusandi terroribus et minis, adversariorum vires debilitare conatus est : itaque per vulgus serpere sivit illum de Petitione Consulatus libellum, quem quidem Quintus frater scripserat, quemque tamen, ut conjicere[2] licet, vel mutaverat ipse vel emendaverat. At ex sex competitoribus ii duo qui tantummodo multum poterant, id est, C. Antonius, summi oratoris filius, et L. Catilina, neque audaciæ neque licentiæ suæ ob hæc frenos imposuerunt; contra autem, adeo palam atque aperte, viribus consociatis, per fraudem ad consulatum obtinendum amovendumque Ciceronem grassati sunt, ut senatus graviorem quam antea cum pœna legem de ambitu ferendam esse censuerit. Cui quidem Q. Mutus Orestinus tribunus plebis, qui quondam in turpissima causa Ciceronem patronum elegerat, sed adversariorum nunc partem tutabatur, statim intercessit; et, « senatu graviter intercessionem ferente, ut ait Asconius, surrexit Cicero atque in coitionem Catilinæ et Antonii invectus est ante dies comitiorum paucos. »

[1] De Petitione consulatus, c. IV.
[2] De Petitione consulatus, c. XIV.

De hac oratione, quam hoc titulo « in Competitores » inscribit Quintilianus [1], ea tantum novimus quæ servavit Asconius. Sane desunt et exordium et ea pars qua Antonium, paulo ante exagitatum, lacessebat Cicero acriterque insectabatur; et conclusio, qua nimirum Patres hortabatur ut in sententia manerent neve cujusquam vim aut minas pertimescerent. Præterea, quanquam e petitione consulatus eque fragmentis Ciceronis in senatu [2] sententiæ novimus quo animo et quibus artibus consulatum candidati obtinerent, idque assequerentur ut repulsam ferrent competitores, attamen gravamur neque eas contumeliosas responsiones, quibus C. Antonius et L. Catilina certatim in Ciceronis novitatem invehebantur [3], manu tenere, neque integram nostri oratoris accusationem enarrare posse. Operæ enim pretium esset considerare quomodo competitores, qui sæpe armis contendere malebant, verbis et oratione alii alios impugnarent. Verum, quoniam vana conjicere non vacat, ad institutum jam revertamur necesse est, ut e fragmentis hanc inusitati generis sententiam adumbremus.

Initio orationis, postquam sua consilia refragatorumque [4] conatus exposuerat, competitoribus eas largitiones, quas prohibebant novissimæ leges ambitus, primum Cicero objiciebat, ut ex hoc conjicere licet : « Dico, Patres conscripti, etc. ; » deinde, aditu ad convicium jam patente, antequam de alterutro agere cœpisset, de utrisque, divisis cum summa diligentia

[1] Quintilianus, lib. III, c. VI.
[2] Quintilianus, lib. III, c. VII.
[3] Asconii commentarium, sub fine, et Scholia Bobiensia in Orat. pro Sulla, c. VII, 5.
[4] Vide initium Asconii commentarii.

sceleribus, una tamen agebat, quod quidem illud fragmentum declarat : « Quem enim aut amicum, etc. » Inde separatim Catilinam, cujus omnes ingenium ad omnia promptissimum fuisse noverunt, vehementissime criminari incipiebat. Verum, quum in ceteris fragmentis opus oratorium hic exædificemus, ante omnia positum sit Ciceronem in ista oratione non solum omnem dicendi colorem adhibuisse, vel indignando vel simulando vel irridendo, sed etiam singulari opere arteque summa sententias illuminasse, atque aperte omnius generis concinnitatem esse consectatum : illum enim dicas, quanquam apud senatum [1] vitanda est etiam ingenii ostentationis suspicio, omnibus artificiis uti voluisse, ut simul intelligentiæ atque aurium voluptati satisfaceret. Nonne enim, exempli gratia, quum causas indicaret, propter quas Catilina non minus senatui quam populo infensus erat atque inimicus, de industria membratim cæsimque trahebat orationem, ut in iis fragmentis : « Nec se jam tum, etc. — In judiciis quanta vis, etc. — Populum vero, etc. ? » At non solum adversarios suos acriter aggrediebatur, sed curabat providebatque ut scirent Romani competitoribus rem esse cum viro, utque inviti, non sine laude, cum istorum nobilitate ipsius ignobilitatem conferrent : quamobrem dilucide tristes Verris exitus ita significabat : « Me qua amentia, etc. » Hoc in loco tamen quædam sine dubio desiderantur ; nam, quum in vicem Antonio seorsum conviciari debuisset, utrumque rursus accusabat, ita autem ut contraria opponerentur suaque natura essent isto modo numerosa : « Alter pecore omni vendito, etc. — Alter induxit eum, etc. » Quibus flagitiis commemora-

[1] De Oratore, lib. III, c, LXXXII,

tis, ne nimium offenderet, atque ut attentos senatores efficeret, paululum a proposito digrediebatur, hortando Patres ut in incepto manerent ac vehementer Q. Mucium appellando, qui, Catilinæ fautor, senatus consiliis intercedebat. Qua in parte : « Te tamen, Q. Muci, tam male, etc., » simul et quemdam motum animi miramur et illam calliditatem, qua ea Q. Mucii, quæ inter se adversabantur repugnabantque, ante oculos exponebat. Paulo post, quum quasi præteriens direptiones, cædes et Antonii opprobrium sic indicasset : « Atque ut istum omittam, etc., » ad Catilinam, quod coitionis firmamentum erat, rursus veniebat. At in illo loco exsultabat audacius : hodie enim, quamvis ea carent spiritu illo, propter quem, ut ipse dicit [1], majora eadem quum aguntur, quam quum leguntur, videri solent, quodam impetu excitamur, si consideremus quanta vi, quanta gravitate, quanta celeritate verborum, quæ quidem incisim dicta aptissime cadunt, indignaretur quod consulatum petere iste auderet : « Te vero, Catilina [2], consulatum sperare, etc. » Nec contentus erat portentosa Catilinæ scelera enumerare, immanem illius crudelitatem notare, ac cum Sullæ sicariis, cum Luscio isto, quem tantum imperitum fuisse affirmabat, conferre, ut ex his fragmentis apparet : « Quod caput etiam, etc. — Quid tu potes in, etc. — Denique illi negare, etc. — Is ergo negat, etc.; » etenim reliquam ejusdem vitam penitus scrutabatur, ut, stupris omnibus jam detectis, ab incepto competitor cogeretur desistere ; ad hoc, non ea in unum congerebat, sed singula enumerabat, ita ut aliud super aliud commemoratum

[1] Orator, c. XXXVII.

[2] Cf. hoc L. Crassi : « Brute, quid sedes? » et hoc C. Gracchi : « Quo miser me conferam? » et orationis pro L. Murena perorationem.

odium atque iram omnium excitare valeret, quod certe hæc confirmare possunt : « Hanc tu habes, etc. — Quum deprehendebare, etc. — Stupris se omnibus, etc. » Attamen, quum propter morum corruptelam ea sine momento et pondere esse possent, Catilinam virum publicum rursus lacessebat : itaque quomodo provinciam Africam omnimodo vexavisset spoliavissetque explicabat, urbaniter dissimulando et severe ludendo, quoad tandem sub fine indicaret se aliter sentire ac loquebatur : quod quidem genus perelegans et salsum est[1] ; ac postea, ut senatus principes novarum rerum terrore percelleret, Catilinæ aliorumque nefarium conatum, de industria reticendo, in memoriam revocabat, ut ex his duobus fragmentis patet : « Quod ego ut involaveris, etc. — Prætereo illum nefarium, etc. » Reliquum nunc erat Ciceroni, ut eadem macula ignominiaque afficeret C. Antonium, et verisimile est eum non huic officio imparem fuisse ; at is locus tantum superest quo competitori suo animum ingratum noster objiciebat, illamque turpitudinem, qua aurigando sese inquinaverat, salse ita illuminabat : « An oblitus es te ex me, etc. » : ergo orationis hanc partem mancam esse ac mutilatam satis sit affirmare : eam enim supplere hominis esset impudenter abutentis litteris atque otio. Postremo, circiter perorandi finem, ea mente ut e præteritis præsentia senatores æstimarent, in malos cives, qui, quum furere jam semel non possent, mox, consulibus quibus vehementissime favebant conniventibus, proscriptiones et rapinas cogitabant, his verbis Cicero insectabatur : « Qui posteaquam illo, etc. — Hunc vos scitote Licinium, etc. » Verum, quomodo

[1] De Oratore, lib. II, c. LXVII.

hunc metum semel incussum confirmaret atque augeret, nos ignorare fateamur oportet; et, quum sententiæ illius conclusionem indicaverimus, opinio animi, non autem quoddam orationis fragmentum aut viri cujusdam doctissimi testimonium ad id nos duxit traxitque. Ne ideo tamen gravius æquo damna istius orationis doleamus : quid enim, quæso, de nonnullis Ciceronis concionibus dicemus, quarum, quamvis longe nobilissimæ fuerint, vel nulla vel adeo incerta exstant fragmenta, ut ne minima quidem divinare possimus ?

ORATIO PRO Q. GALLIO

Iisdem ferme diebus vel paulo ante, si cuidam loco[1] libelli de consulatus Petitione fidem adhibeamus, Q. Gallium, præturæ candidatum, Cicero defendit. Is enim, quia in hoc magistratu petendo, per speciem paterni funeris honorandi, gladiatorium munus dederat, utpote qui « in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuisset[2], » ambitus reus in judicium vocabatur. Ad hoc, quasi de eo crimine inimicum convincere non potuisset accusator, a Gallio se veneno pæne oppressum fuisse contendebat. Hæc autem defensio, quum verbis haud obscuris reum Catilinæ fuisse amicissimum in superiori oratione M. Tullius indicasset, nos quadam admiratione permovere debuerat; verum ad Quinti sui fratris præscriptum noster agebat, ac dabat operam ut ii ipsi, quorum voluntas propter competitorum amicitias aliena erat, scirent in suis temporibus neque studium ipsius neque patrocinium esse defuturum. Quod si valde Gallium, cujus in foro soda-

[1] C. v.
[2] Asconii commentarium orationis in toga candida.

litates gnavæ erant, sibi obligare concupiret, reus contra parati auxilii eo majorem gratiam erat relaturus, quod non unus e multis accusator sed vir disertissimus erat, scilicet M. Calidius. Nemo non novit qua diligenti subtilitate in *Bruto* M. Calidii oratoris effigiem Cicero expresserit; atque inde affirmare licet summos ejusdem ætatis oratores exæquasse, tum videndo qua de re in causis agatur, tum de re dilucide explicando, atque animos audientium verborum et sententiarum luminibus delectando, illa autem dicendi laude, qua inflammare animos et quocumque res postulet modo orator flectere possit, eumdem fere caruisse; quanquam postea, quum ipse in discrimen adduceretur atque ambitus reus esset factus a Galliis duobus, pro se dicendo, tum grandiorem et pleniorem vocem minime contempsit, ut illud Cælii testatur [1] : « Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus. »

Illud sane utilissimum esset, quo certius hanc causam novissemus, utrinque habitas in manu habere actiones; attamen e Ciceronis testimonio videre est quanta cura quantoque artificio accusationem suam Calidius instruxisset et præparasset. Non enim solum, de ambitus crimine argumentando, ea collegerat, quibus isti, quem arguebat, utilia fuisse munera gladiatoria demonstrabat; sed etiam, quum de veneno a Q. Gallio parato dissereret, facti suspicionem confirmabat, odium vetus, quia antea quoque Q. Calidium, ipsius patrem, repetundarum reus accusarat, commemorando, et spem eidem vel depellendi primi criminis vel periculi perrumpendi indicando. Post hæc, rem manifestam efficiebat deferendo et chirographa, tacita

[1] Cælius ad Ciceronem, Ep. Cic., lib. VIII, ep. IX.

scelerum testimonia, et testificationes, quas effugere nemo potuit, et indicia, signa præteriti et quasi impressa facti vestigia, et denique quæstiones, quæ semper causam adjuverunt, propterea quod majores, prudentissimi homines, eam rem totam, nisi probassent, certe repudiassent. Non autem de crimine accurate et exquisite, ut ait Cicero[1], disputare satis esse credebat; sed, quod ante omnia animos eorum qui audiebant devincire voluptate studebat, proverbiis, quæ semper facete interponuntur [2], utebatur, ut ex hoc Festi asseverare licet[3] : « Nonne vobis, judices, scintillam et fumus prosequi et fumum flamma videtur? » Tunc, argumentis, quasi hasta in manu collocata[4], propositis, ad perorationem, ut opinor, veniebat; at in ea parte claudicasse Calidium affirmare possumus; et, si frequentatione argumentorum et coacervatione universa fidem afferre sine dubio tentaverit, nec se latius fudit, nec rem inflammavit, ut regeret, ut flecteret animos, ut, sicut volebat, afficeret : in hoc autem uno vis omnis oratoris constat[5].

Ciceronis defensio, nisi verbis arrogantibus suam dicendi facultatem ille jactaverit, præter eas laudes, quas in Calidii accusatione æstimavimus, eam virtutem habebat, qua animis judicum admovet orationem patronus[6], ut fidibus manum. Quanquam de exordio nihil superest, tamen, pro ea amicitia quæ Ciceroni cum Calidio erat, (quippe qui postea[7], ut area domus nostri

[1] Brutus, c. LXXX.
[2] De Oratore, lib. II, c. LXIV.
[3] Festus, verbum sufes.
[4] De Partitione oratoria dialogus, c. IV.
[5] Orator, c. XXI.
[6] Brutus, c. LIV.
[7] Quintilianus, lib. X, c. I.

oratoris in privatum usum rediret, prætor factus, dixerit), licet conjicere, primum omnium, eum Gallii necessitatem sibi excusationem sumpsisse, neque oblitum esse, sicut in oratione pro L. Murena[1], se contra amici studium pro amici periculo dicere. Deinde, quantum res ferebat, ordine criminum, id quod fere fieri solet, asservato, unaquaque de re diluendo argumentabatur. Quomodo autem motus animorum, quos accusator, ambitu objecto, incitarat, mitigaret ipse, ne mentionem quidem fecit; sed qua ratione quaque via reum de veneni suspicione purgaret libentius exposuit explicavitque. Non enim solum, rhetorum præceptis edoctus, amplificatione æquabiliter toto corpore orationis fusa, indicia facti non esse certa explanabat, repugnantia comparabat[2], testiumque et quæstionum genus universum refellebat, hocque utebatur, quod sæpissime vivere maluerunt falsum fatendo servi quam infitiando dolere; non solum quæ sunt in personis adhibebat, non iis esse moribus Gallium probando, ut tantum scelus meditaretur ac mortem viri illius, cujus quondam patrem accusarat, maturandam curaret, quod quidem ex hoc loco suspicamur[3], quem Quintilianus faciei expressæ exemplum sumpsit : « Ut clamor, ut convicium, etc.; » non solum, quo facilius animos omnium a severitate in hilaritatem traduceret, facetam narrationem explicabat, qua ante oculos ponebat[4] ea quæ videbantur esse ve-

[1] Oratio pro Murena, c. IV.

[2] « Propositis, quibus responsuri sumus, qærendum nobis erit an inter se comparata repugnantia sint, ut suis armis corruant. — Similiter pro Gallio..., ibi enim, dum singula inter se comparat, alterum altero Tullius diluit. » (Jul. Severian., *Syntom. Rhet.)*

[3] Inst., Orat., lib. VIII, c. III, et vide J. C. Victoris Artem rhetoricam, c. XXII, de Obliquitate.

[4] De Oratore, lib. II, c. LXVI.

risimilia, quod est proprium narrationis, et quæ erant, quod ridiculi proprium est, subturpia, ut in hoc a divo Hieronymo servato : « Loquor enim quæ sum ipse, etc.; » sed etiam, quod testantur Quintilianus[1] et Valerius[2] Maximus, quodque ipse confitetur[3], « hoc ipsum etiam ponebat pro argumento, quod adversarius, quum pestem capitis sui, quum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter, ita : « Tu istuc, M. Calidi, etc. » Ad hoc, quasi opus esset inchoatum, non perfectum, et illud delectationis aucupium, quam lepide dicendo Calidius consectabatur, non sine urbanitate irridebat atque agitabat, ut fragmentum illud indicat : « Ego te certe scio, etc.; » et exemplis, quæ semper apud multitudinem plurimum valent, rem suam probabat confirmabatque, ut ex hoc divinare licet : « Qui spurce dictum, etc. » Hic de peroratione mihi dicendum esse videretur ; verum ex ea nihil omnino exstat ; quanquam verisimile est in ea causa Ciceronem, postquam enumeraverat[4] ut quidque diluisset, ad miserationem commovendam, de Gallii fortuna, de omnia amittendi periculo, de futuris malis, si reus esset damnatus, dolenter esse locutum : ita ut hoc dicendi genus vehemens, incensum, incitatum sustinere nullo pacto judices potuerint, ac reum absolutum, quasi non jam sui potentes, dimiserint. Neque rei exitus illum fefellit : Novimus enim M. Tullium de causa victorem decessisse.

[1] Lib. XI, c. III.
[2] Lib. IV, c. X.
[3] Brutus, c. LXXX.
[4] Vide orationis pro Cluentio Avito perorationem.

ORATIO PRO L. OTHONE

Vix ex omnium consensu Cicero consul cum C. Antonio factus erat, atque iis, qui tantum fructum eloquentiæ tribuendum esse ipsi censuerant, quid consequi posset ostendere parabat, quum ea auctoritate, quæ in se apud populum summa erat, tempore quodam periculosissimo, uti coactus est. Quadriennio ante, L. Roscius, tribunus plebis, ut sibi gratiam atque equestris ordinis studium compararet, P. Africani superioris exemplum [1] imitatus, qui quondam ludis ante populi consessum senatui locum dederat, legem tulerat, qua equitibus quatuordecim graduum ordines, pone senatum [2], assignabantur. Primum, honorem illum, quo iste ordo decorabatur, facile plebs passa erat, si quidem Cicero affirmat[3] legem Rosciam plebem non modo accepisse, sed etiam efflagitasse; verum, propter mobilitatem atque homini insitam innatamque invidiam;

[1] Pro Cornelio I, fragmenta. — De Aruspicum responsis, c. xii.
[2] Pro Murena, c. xix.— Tit. Liv., Epitom., xcxix.— Juvenal, III, v. 159, et XIV, v. 323.
[3] Pro Cornelio I, fragmenta.

mox notatam se discriminè sedis non æquo animo tulit, et occasionem aucupabatur, qua palam atque aperte sensus animi indicare posset. Itaque, quadam die, quum Roscius Otho in theatrum venisset, a plebe convicio, clamoribus et sibilis exceptus est, dum equites Romani, qui quasi juris equestris propugnatorem adamabant, approbatione et plausibus illum prosequebantur. Inde certamen irarum, atque adeo animi omnium ardebant, ut vix utraque pars manibus temperaret. Cujus periculi certior factus, consul, in medium procedens, populum ad Bellonæ templum convocavit, verba ibi de hoc tumultu dicturus. In hac autem extemporali oratione, si Plinio majori [1] credamus, omnibus diceudi virtutibus Cicero excelluit; acer, incensus, agens, canorus fuit, quod quidem [2] concursus hominum desiderat, ita ut, omni modo animos permovendo, novas opiniones inserere, evellere insitas valuerit, quum plebs, ubi ad spectacula rediit, non contumeliis sed summa observantia Roscium Othonem sit prosecuta. Ceterum hujus orationis effectus adeo in animis Romanorum aculeos reliquerat, ut multi non affirmare dubitarint Virgilium eam designare voluisse in hac Œneidos [3] notatissima comparatione :

> Ac veluti magno in populo quum sæpe coorta est (etc.);

verum non testimonio sed conjectura et probabilitate suam opinionem confirmare videntur, atque in ea re insistere nequaquam utile est. Quanto nobis satius esset quædam ex hac oratione in manus sumere, ut eam

[1] Plinius, lib. VII, c. XXXI.
[2] Brutus, c. XCII.
[3] Æneis, lib. I, v. 152.

artem tenere possimus, qua, plebem monendo et objurgando, ut a se non alienaret equestrem ordinem, cujus amicitia fretus ac munitus omnes honorum gradus assecutus erat, benevolentiam tamen multitudinis et caritatem sibi conjungeret! At unus tantummodo exstat versus, qui neque sententiæ neque verborum lumine distinguitur, quemque Orelli non ex oratione pro Othone, ex Cœliana[1] autem desumptum esse ab Arusiano affirmat. Attamen, e quodam Macrobii[2] loco, qua argumentatione Romanorum mentes perculerit licet suspicari, quippe qui nos doceat Ciceronem populo exprobravisse « quod, Roscio gestum agente, tumultuaverit. » Neque hoc testimonium nos efficit attonitos; meminerimus enim quoties Quintum Roscium, pro quo antea causam dixerat, noster laudaverit atque ad imitandum proposuerit[3]; et novimus comædi illius præconium ab eo esse adeo amplificatum, ut eumdem contenderet[4], propter èxcellentem artem, omnino mori non debuisse. Verum, si ex hoc uno fragmento totam concionem constituere velimus, similiter agemus atque adolescentulus ille, quem, apologi causa, in orationem pro M. Curio L. Licinius Crassus induxerat[5], quique, in littore ambulans quum scalmum reperisset, ob eam rem ædificare navem concupiverat; itaque, de hac causa, non diutius argutissime disputando, ineptiæ[6] crimen vitare certe poterimus.

1 Oratio pro Cælio, c. XIX.
2 Lib. III, c. XIV.
3 Exempli causa de Oratore, lib. I, c. XXVIII et XXIX; lib. II, c. LIX; Brutus, c. LXXXIV.
4 Pro Archia, c. VIII.
5 Brutus, c. LIII.
6 De Oratore, lib. II, c. IV.

ORATIO DE PROSCRIPTORUM LIBERIS

Pro L. Othone concionando, quanta vis sit ornatæ et incitatæ orationis apud multitudinem, sine qua eloquens[1] esse nemo possit, Cicero comprobaverat; verum oratorium munus, longe autem difficillimum, apud senatum contra liberos Proscriptorum agendo, paulo post perfecit. Ii enim, quibus, ut vehementissime exclamat M. Lepidus, prius injuria quam vita[2] certa erat, non modo paternis bonis erant spoliati, sed honorum consortio, propter legem Cornelianam de Proscriptis, quasi in sua civitate hospites, in perpetuum privati erant. Quod quum ægre ferrent, summo opere contendebant ut in civium numero essent, utque aditus ad honores sibi redderetur; et senatus, misericordia atque æquitate commotus, in eo erat ut de iis restituendis cogitaret, quum huic consilio obstitit consul offecitque. Quam ob causam a tali incepto senatum deterruerit nos in oratione in[3] L. Calpurnium Pisonem ita ipse

[1] De Oratore, lib. II, c. LXXXIII.
[2] Sallustii Historiarum fragmenta, lib. I, 28 f.
[3] C. II.

docuit : « Ego adolescentes bonos et fortes, sed usos ea conditione fortunæ, ut, si essent magistratus adepti, reipublicæ statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis[1], nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi; » at qua argumentatione, in cohortando ac suadendo, utilitatem honestati in civili ratione esse anteponendam confirmaret, neque ex iis vocibus neque e loco a Quintiliano asservato monstrare possumus. Etenim, ceteris omissis, tantummodo ut docerentur juvenes quo asperitas orationis modo alio colore sit mollienda, ex hac oratione ille rhetor versum istum[2] deprompsit : « Quid enim crudelius quam homines honestis parentibus ac majoribus natos a republica summoveri ? » Apparet quidem, ex iis quæ in Institutione oratoria Ciceronis verba sequuntur, orationem illam, quæ simplex, gravis[3] et sententiis debebat ornatior esse quam verbis, in duas partes esse divisam, quarum in altera eorum sortem fortunamque deplorabat, quorum, hasta posita, præconis voci patrimonium subjectum erat, quique in sua patria pro incolis non pro civibus erant; in altera autem « ita legibus Sullæ contineri statum civitatis affirmabat, ut, his solutis, stare ipsa non posset; » ulterius tamen procedere non licet, ac nequaquam iis assentior qui consulem timuisse[4] declarant ne, si juvenes illi imperium occuparent, veteres ulciscerentur injurias. Verisimile est autem, ut opinor, eum multo firmioribus atque efficacioribus apud homines bene ins-

[1] Hæc verba cum loco notissimo Plinii majoris vehementissime repugnant : « Te orante, Cicero, proscriptorum liberos honores petere puduit. » — Lib. VII, c. XXXI.

[2] Quintilianus, lib. XI, c. I.

[3] Partitiones oratoriæ, c. XXVII.

[4] Ciceronis fragmenta, curante E. Lemaire,

titutos, qui solent omnibus anteponere laudem, usum esse argumentis. Erat enim periculum ne liberi proscriptorum, magistratus adepti, ac se, quorum bona alii possidebant, egere iniquissime arbitrantes, leges vel ferrent vel rogarent, quibus alii cederent possessionibus atque ipsi sua recuperarent. Hæc autem in summum discrimen rempublicam impulissent et nescio an evertissent; nam, illa præsertim tempestate, novas res Catilina moliens ad se convocabat omnes Sullanos qui egebant æreque alieno laborabant; et pro certo habebat possessores, qui agrum multis annis tenebant, inde vero subito erant expellendi, statim furere, seditiones cogitare et rempublicam disturbare ac pervertere esse paratos. Ergo, si in tali tempore consulis dictis non audiens atque obediens esset senatus, bello iterum civili Italia flagrasset, cædes crudelissimæ fieri cœpissent, atque in omni genere esset deformata Romana civitas. Attamen, quanquam communem civium utilitatem tuebatur Cicero atque imprimis dabat operam, quod proprium est optimi ac prudentissimi magistratus, ne patriæ fundamenta, honesta quidem, intempestiva autem miseratione labefactarentur, nos scire juvaret qua ratione vir ille, licet postea affirmaverit res fieri privatas[1] victoria, ut qui bello potiti sunt, probasset jure ac merito Sullam, quem semel ac sæpius exagitavit[2], a justis dominis ad alienos pecunias transtulisse. Ceterum senatores, qui non erant obliti a Sylla optimatum partes semper esse defensas, quique, haud secus ac Cicero, multa, quæ honesta natura videntur[3] esse, temporibus fieri non honesta libentissime crede-

[1] De Officiis, lib. I, c. VII.
[2] De Officiis, lib. I, c. XIV; lib. II, c. VIII; lib. II, c. XXIII.
[3] De Officiis, lib. III, c. XXV.

bant, non gravabantur quod consul istius dissuasionis invidiam sibi suscipiebat ac probabat e re publica non iis, qui viginti ab annis fuerant oppressi, jura esse restituenda. Neque eos hujus consilii postea pœnituit : Cæsar enim, qui Marii sese ultorem ac popularem virum veritate, non ostentatione, præferebat, proscriptorum liberis, dictator creatus, omnia concessit; et, hac damnatorum restitutione, Ciceronis orationi, quam, propter rei Romanæ explicandas rationes, valde desideramus, post victoriam respondit.

ORATIO CONTRA CONCIONEM Q. METELLI

Interea laboriosissimum ac periculosissimum consulatum M. Tullius agebat, et, magistratu deposito, omnia jure prædicare poterat, quibus, propter auctoritatem, animi constantiam virtutemque, de republica deque optimatibus bene meruerat. Etenim, ut in sua laude tam curiosus tamque diligens ipse dictitavit, legis[1] agrariæ metu bonos omnes liberaverat; solutionem rerum creditarum de republica sustulerat[2]; atque, extremo mense consulatus, Catilinam, cædem senatus interitumque Urbis non obscure sed palam molientem, egredi ex urbe coegerat, deque manifestis rerum capitalium conjuratoribus, more[3] majorum, supplicium sumpserat. At, quamquam animadversio et judicium[4], sicut postea jactavit, fuit senatus, non ignorabat se has sacrosanctas leges violavisse, quæ non animam eripi[5]

[1] In L. Calp. Pisonem, c. II.
[2] De Officiis, lib. II, c. XXIV.
[3] In Conjuratione Catilinæ, oratio Porcii Catonis.
[4] In L. C. Pisonem, c. VII.
[5] In conjuratione Catilinæ, oratio C. Cæsaris.

condemnatis civibus sed exsilium permitti jubebant. Hoc igitur facinore, quod semper noster excusandum habebat, nulla mora interposita, certatim sunt abusi, quicumque per hanc causam vel Crassi vel Cæsaris, quorum dubia non erat de Catilina sententia, sibi voluntatem conciliandam esse putabant; ac Metellus Nepos, quem tamen, honoris causa, in Corneliana oratione[1] nominatum M. Tullius voluerat, cujusque fratri suam administrandam provinciam condonarat, quamvis a Q. Catulo parens patriæ Cicero appellatus esset[2], ea injuria eum affecit, qua nemo unquam[3] in aliquo magistratu improbissimus civis affectus erat : nam, quum in concione, abiens magistratu, noster quæ constituerat memorare voluit, a tribuno plebis dicere prohibitus est, et tantummodo jusjurandum jurandi potestatem habuit. Non tanta autem contumelia Q. Metellus Nepos est contentus; sed, postquam in concione populi, in qua non sine laude versabatur, propterea quod hoc erat[4] populare dicendi genus assecutus, paulo ante denuntiaverit ei, qui in[5] alios animadvertisset, indicta causa, dicendi potestatem fieri non oportere, ante diem III non. januar., nova oratione habita, tertio quoque verbo Ciceronem appellavit eique minatus est. Verum non ea Ciceroni mens erat ut impetum factum æquo animo ferret, et, ne existimaretur casu potius quam consilio fortis fuisse, hujus tribuni plebis temeritati ista restitit oratione, quam, quibusdam[6] additis,

1 Vide Cornelianæ orationis enarrationem.
2 In L. C. Pisonem, c. II.
3 Epist., ad Q. Metellum Celerem procos., anno 691. et in L. C. Pisoem, c. III.
4 Brutus, c. LXX.
5 et 6 Ad Atticum, Ep., lib. XI. ep. XIII.

paulo post scripsit et Metellinam vel contra concionem Q. Metelli vocavit.

Haud in manus nostras concio a Q. Metello habita venit; neque solum de ea nulla fragmenta exstant, quanquam illius orationes operi suo de Claris Oratoribus Mucianus inseruit[1], sed etiam quæ sit cui M. Tullius respondit ambigi hodie potest. Sine dubio non de illis concionibus agitur, quibus in Cn. Pompeium, contradicente pleraque nobilitate, C. Cæsare autem prætore[2] adsistente, duas leges Q. Metellus ferre voluerat; verum utrum ea sit concio, qua rogationem tribunus plebis promulgaverat contra senatum ac Ciceronem, an illa, qua cum Cicerone de republica[3] calend. januar. disputaverat, non injuria quærimus. H. Meyerus et G. Baiterus contra concionem priorem suam orationem habuisse Ciceronem affirmant; ad hoc, H. Meyerus[4] e fragmentis Ciceronis Metelli orationem patere asseverat; attamen huic doctissimo viro difficile est plane atque omnino assentiri. Etenim, si Suetonio[5] credamus, in ista rogatione orationem Metello Cæsar scripserat, ita ut « ex persona Cæsaris sermo esset Metellumque seque adversus communium obtrectatorum criminationes purgantis; » at vero in respondendo istius simultatis ne mentionem quidem noster facit, contra autem huc imprimis incubuit ut consulatum defenderet laudaretque. Verisimile est igitur, ut opinor, ex primo fragmento sequentibusque, Ciceronem quidem non sententiæ in senatu sed apud populum concioni habitæ

1 Tacitus, de Oratoribus, c. XXXVII.
2 Scholia Bobiensia, in Orat. pro Sestio, c. XXIX, 1.
3 Epistola supra citata.
4 Oratorum Romanorum fragmenta, p. 415.
5 Suetonii Cæsar, c. LV.

respondisse; dicendo ea crimina purgare voluisse, quæ, propter conjuratorum supplicium ante calend. januar. Metellus congesserat; atque insigniorem injuriam, quum in concione dicere non potuisset, ulcisci gestiisse. Verum, his paululum disputatis quæ leviora forsan videri possunt, maxima ex parte deperditam orationem est tempus examinare.

In exordio, quanquam fiducia ipsa solet opinione arrogantiæ laborare[1], benevolentiam sibi comparare Cicero non dubitabat fortitudine sua extollenda contrariisque rebus in adversarium conferendis, ut illud nos docet, quod Divus Augustinus et Fortunatianus[2] in suis Rhetoricis magnifice laudaverunt : « Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. » Deinde, animis ita præoccupatis, plenam timoris ac pœne afflictam rempublicam, sua virtute excitatam latrocinioque domestico liberatam commemorabat, et confirmabat illam nunquam fuisse requieturam nisi eorum exitio, qui faces accensas ad Urbis incendium jam in manus sumebant, quod ex his fragmentis plane conjicere licet : « Permulsa atque recreata est. — Nisi eorum exitio non requieturam. » Hunc autem locum, quo de suo consulatu copiose M. Tullius prædicabat, nos haud vehementer desiderare confitemur, propterea quod in hac materia illius picturas[3] ac sonitus abunde novimus. Tum, tali proæ-

[1] Quintilianus, lib. IV, c. I.

[2] « Utemur principiis in bonæ opinionis controversiis, sed brevioribus et erectioribus paulo, et confidentibus, et plenis dignitatis, sine jactantia duntaxat, ne res pariat invidiam : ut est illud apud Tullium contra concionem Metelli : « Sic enim, ut opinor, insequor fugientem, » etc. Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim orsus fuisset, nisi et ipsius auctoris esset honesta persona et res, de qua locuturus esset, non improba. »

[3] Ad Atticum Epist., lib. I, ep. XIV.

mio primoribus labris tantum attacto, ut senatorum invidiam in adversarium concitaret, cum quodam dolore iracundiaque, nam suavitatem assumere in hac orationis parte semper studuit, breviter narrabat quomodo concionem habere apud populum tentavisset, et, tribuno plebis interdicente, a populo Romano[1] universo non unius diei gratulationem sed æternitatem immortalitatemque accepisset; nam hujus narrationis principia A. Gellius ita asservavit: « Escendi in concionem: concursus est populi factus. » Postea, seu supplicii conjuratorum invidiam in unum consulem Q. Metellus veteratorie rejecisset, seu, jam ultionis providus, quam, consulatu peracto, sibi sperabant Ciceronis inimici, ipse socium facinoris periculique senatum sibi adjungere voluisset, quam maxima voce se decretis senatorum tantum paruisse, se tantum ea, quæ statuerant, præstitisse noster proclamabat, ut illud orationis fragmentum apud Quintilianum testatur : « Vestrum jam hic factum deprehenditur, Patres Conscripti, non meum : ac pulcherrimum quidem factum : verum, ut dixi, non meum, sed vestrum. — Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos judicastis » Ibi, ne oratio uno tenore flueret, delectandi ac jocandi causa, de Metello quædam interponebat, et, cum quadrandæ sententiæ industria, non autem sine lepore, mirabatur quod defensores suos, qui malæ quam[2] nullius rei duces esse malebant, e longinquis regionibus plebs asciscebat arcessebatque; etenim hæc belle pronunciabat : « Venit ex Asia. Hoc ipsum quam novum! Tribunus plebi venit ex Asia. Verumtamen venit. » At, quamvis sine dubio illa supe-

[1] In L. Calpurnium Pisonem, c. III.
[2] Ex Tito Livio, lib. III, oratio T. Q. Capitolini.

riora abundanter ac dilucide explicaverit, manifestum est e fragmentis sequentibus in extremam orationis suæ partem Ciceronem molestissimum crimen purgandum reservasse. Patet enim, ut arbitror, Q. Metellum non solum affirmasse et forum [1] et campum et curiam et domum Ciceroni semper vacuam mortis periculo atque insidiis fuisse; sed etiam non ex indiciis testimoniisque verum e suspicione ac metu in conjuratos consulem animadvertisse. Itaque, pro semetipso dicendo, suavissime sese effundebat, et quam varie, quam apte, quam artificialiter relationem illam de conjurationis popularibus salutarem et diligentem defenderit[2], ex his numerosissime compositis suspicari ac judicare licet : « Dediderim periculis omnibus, obtulerim insidiis, objecerim invidiæ. — Quæro ab inimicis sintne hæc investigata comperta, patefacta sublata, deleta exstincta per me ? — Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi; in senatu sunt positi. » Fortasse credideris, magnifice dicendo quomodo consulatum gesserit, Ciceronem satis superque crimina diluisse; verum sua omnia valdius amabat quam ut dubitaret adversarium elevando semetipsum extollere. Ergo, ut ex hoc fragmento conjicimus, « qui animum hostilem habet et cujus [3] facta hostilia sunt, » suam in Metellos benevolentiam cum Q. Metelli malevolentia et obtrectatione conferebat, ut inde appareret ipsum partes lenitatis[4] et misericordiæ semper egisse liben-

[1] Vide in Catilinam, IV, c. I.

[2] In L. C. Pisonem.

[3] Vide C. J. Victoris Artem rhetoricam, c. VI, § 3 : de Locis a definitione.

[4] Vide orat. pro Murena, c. III. Eadem sententia ex illo versu Ciceronis a Quintiliano excerpto apparet : « Quanquam illa non pœna sed prohibitio sceleris fuit » (lib. IX, c. II); et ex hoc fragmento, quod Beierus ad oratio-

ter, illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivisse. Verum probabile est neque hanc orationis partem aspere tractavisse Ciceronem, neque in adversarium acerbius esse invectum : Q. Metellus enim postea cum P. Lentulo consule consul ipse tulit legem comitiis centuriatis de reditu Ciceronis, ac cum optimatibus, in tali re[1] non ingrata oratori nostro, sese non invitus conjunxit.

Metellina illa oratio, quod nostra enarratio fortasse comprobavit, in genus laudationum sine dubio ab omnibus adscribetur. Etenim in hac, ante omnia, dicendi virtutes, quæ ad laudandi rationem pertinent, Cicero assecutus est, id est, circumscriptionem[2] ambitumque, ut tanquam in orbe inclusa curreret oratio, et verborum constructionem, « ut paria paribus et similia similibus sæpe referrentur[3], ut contraria, ut geminata, ut numerose cadentia, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quodam quasi verborum modo. » Quid igitur mirum si Quintilianus discipulis suis ad imitandum in eadem proposuit, non rerum ordinem, non sententiarum acumen, non dicendi vim, sed hoc schema λέξεως collocatione exquisitum, quod ipsis sensibus quum gratiam tum etiam vires accommodat? Sic enim modo miram figurarum mixturam, quam πλοκὴν vocant[4], quæque cum summa varie-

nem Metellinam referendum censet : « Quum parcere vel lædere potuisset (Tullius), ut ipse affirmat, ignoscendi quærens causas, non puniendi occasiones, quod judicis lenti et considerati est proprium. » (Ammianus Marcellinus, lib. XIX, c. XII.)

1 Vide in L. C. Pisonem, c. XV. — Ep. ad Familiares, lib. V, ep. IV. — Orat. ad Senatum post reditum, c. X. — Oratio de Provinciis consularibus, c. IX, — et Oratio pro Domo sua, c. III.

2 Orator, c. LXI.

3 Partitiones oratoriæ, c. XI.

4 Quintilianus, lib. IX, c. III.

tate in concione contra Metellum deprehenditur, imprimis commendat; modo verborum disjunctionem et dissolutionem, quæ non in singulis verbis sed in sententiis etiam apparet, ita ut eam Isocrateum esse opus existimare videatur, non autem admirabilis illius eloquentiæ exemplar, quæ cum delectatione aculeos etiam in animis audientium relinquit : quod quidem tacitum judicium nos comprobare fatemur.

ORATIO DE CONSULATU SUO

Si oratio illa contra concionem Q. Metelli, de qua supra disseruimus, huic generi, quod appellatur ἐπιδεικτικόν, finitima est, necesse est ut in idem genus cadat hæc oratio, quam de consulatu suo, ut plerique arbitrantur, meditatus erat Cicero, se magistratu abdicaturus, quamque ne haberet Q. Metellus tribunus plebis prohibuit. Verum, ex uno versu, quem Nonius nobis ita servavit : « Quorum luxuries fortunata censa peperit, » inter doctissimos viros magna orta est controversia. Alii enim, inter quos eminent Patricius ac noster inclytissimus civis V. Leclerc, locum Plutarchi in vita Crassi[1] memoria tenentes, hanc in opinionem discesserunt, scilicet hoc fragmentum ad orationem desideratam pertinere; alii autem[2], verbis paululum immutatis, ad illos de consulatu libros idem referendum esse existimant. Non nostrum est huic pugnæ virorum doctrina atque optimarum artium stu-

[1] C. XIII.

[2] Lipsius Antiq., lect. V, 12 : « Quorum luxuries fortunæ censa peredit, » et d'Olivet : « Quorum luxuries peperit felicia censa. »

diis eruditorum finem constituere; sed Orelli affirmat ex commentario de consulatu Ciceronis, græce quidem scripto, prorsus autem a Sallustio neglecto in Catilinaria conjuratione narranda, ea petiisse Plutarchum, quibus confidentes nonnulli putant istam orationem, post injuriam a Q. Metello illatam, per populum statim M. Tullium emisisse; dum, quod multo majus est, ut opinor, in senatu [1] de consulatu suo se numerosam orationem, quia laudandum erat aliquid ornatius, habuisse noster confitetur. Nequaquam difficile est quis fuerit color istius orationis suspicari, adeo illorum, quæ egerat in consulatu, frequens fuit commemoratio; sed eadem, quæ mentibus nostris sæpius ipse mandavit, molestum esset congerere, et, quamvis omnis sui jactatio vitiosa sit, persuasum habemus audientium delenitorem illum non iis fastidium aut odium attulisse, de oppressa conjuratione Catilinæ dicendo; contra autem populum senatumque laudandi necessitatem semper excusasse, quum, non gloriæ magis quam defensionis causa, aut ipse eos tueretur [2], quibus erat usus adjutoribus, aut invidiæ, cui tamen non fuit par, respondere cogeretur.

[1] Orator, c. LXII.
[2] Vide Quintilianum, lib. XI, c. I.

ORATIO IN P. CLODIUM ET C. CURIONEM

Vir consularis factus, gloriari Cicero non desinebat se ad salutem reipublicæ prope fatalem[1] exstitisse; prædicabat se togatum[2] consulem in Urbe Urbem servavisse; cum summis viris, qui quondam armis civitatem tuiti erant, sese libentissime conferebat, atque affirmabat se nunc civile senatus esse præsidium. Ergo, se supra modum ita extollendo, non solum naturam hominum superioris impatientem offendebat, sed etiam, oblitus se in republica a Cæsare et Crasso jam valde dissentire, propter epistolam non mediocrem[3] de rebus suis in consulatu gestis scriptam insolentius, ita Pompeium affecerat, ut studium illius ducis, quem summis gratulationibus frustra decorarat, palam atque aperte a se alienasset. Nostri oratoris status erat hic: et, tempestate quadam ingruente, necesse erat ut, opibus eorum destitutus, qui vel armis vel copiis vel aura populari plurimum pollebant, vim et injuriam inimicorum su-

[1] Catilinaria, IV, c. I.
[2] Orat. in L. C. Pisonem, c. III, et orat. pro Plancio, c. XXVII.
[3] Scholiasta Bobiensis, orat. pro Plancio, c. XXXIII, 6.

biret, quum res insigni infamia excitavit incendium, quo paulo post totus conflagravit. Uno anno post Ciceronis consulatum, P. Clodius, Appii filius, cum veste muliebri deprehensus est domi C. Cæsaris, quum pro populo apud Cæsarem fieret, et per manus servulæ, quod sexcentis in locis M. Tullius narravit, servatus est atque eductus. At, sacrificium omnibus viris inaccessum quum Virgines instaurassent, magna invidia exorta, mentio hujus[1] rei a Q. Cornificio in senatu est facta; et inter senatores de senatusconsulto faciendo magna controversia acta est[2]; frustra Curio pro Clodio stetit; senatores pæne omnium consensu rem ad pontifices retulerunt; id ab iis nefas est decretum, denique ex senatusconsulto consules rogationem promulgaverunt, dum, quod quidem pro præjudicio valebat, uxori nuntium Cæsar remittebat. Ergo reus de incesto P. Clodius factus est[3], accusante L. Lentulo, defendente C. Curione patre; ac, « multumque diuque habitis concertationibus ante judicium, » judices tamen ad extremum dati sunt, qui, verbo ut liberius de potentissimo homine statuerent, revera ne nummi[4] sibi eriperentur, a senatu præsidium postularunt. De accusatione L. Lentuli ac de C. Curionis defensione nihil exstat; verum, dum H. Meyerus ne minimam quidem accusatoris in libro suo mentionem fecit, a Cicerone[5] didicimus non patronum unum e multis, sed eloquentissimum fuisse Cn. Scribonium Curionem : quippe qui, ætate Cottæ et Sulpicii, quanquam, tardus in cogitando,

[1] Ep. ad Atticum, lib. I, ep. XIII.
[2] Ep. ad Atticum, lib. I, ep. XIV.
[3] Scholiasta Bobiensis, argumentum orationis in P. Clodium et C. Curionem, passim.
[4] Ep. Atticum, lib. I, ep. XVI.
[5] Brutus, c. XLIX, seq.

in instruendo dissipatus, ita agebat ut cachinnos irridentium sæpe commoveret, et ita meminerat ut defensor olim assidere[1] mutus cogeretur, propter tamen verborum splendorem et copiam, tertius ab æqualibus æstimaretur. Attamen magis egestati ac turpitudini judicum quam eloquentiæ patroni sui P. Clodius confidebat : itaque, dum judices XXV perire maluerunt quam perdere omnia[2], XXXI fuerunt, quos fames magis quam fama commovit, quique eum indemnatum dimiserunt. Hujus absolutionis infamiam Clodius tulerat Ciceronis beneficio, qui, testis productus, dixerat Clodium non eadem hora Interamnæ esse potuisse ac Romæ. Cur autem testimonio gravissimo reum ita oppressisset nemo non novit. Quod si fidem Ciceroni adhiberemus[3], odium in Clodium tantummodo habuit, quia eum perniciosum patriæ civem fore putabat, « qui, turpissima libidine incensus, duas res sanctissimas, religionem et pudicitiam, cum scelere » violaverat; verum Clodia, Clodii soror, neque injuriam a Terentia illatam oblita erat, nec deposuerat memoriam doloris sui; et Terentia optatam occasionem, quam stuprum nefandum illud præbebat, avidissime arripuit, ita ut mutuo atque intimo odio Clodius et Cicero statim flagrarint. Ergo, quum quæstoria potestate illo anno fungeretur, P. Clodius testem infensissimum non in senatu, sed apud populum, nulla mora interposita, lacessivit, impugnavit, invidiæ causa quotidie nominavit, denuntians, ut inimico terrorem incuteret, se ad plebem jam esse transiturum. Non is erat noster orator qui tales pugnas detrectaret aut effugeret; itaque

[1] Orator, c. XXXVIII.
[2] Epistola citata.
[3] Oratio de provinciis consularibus, c. X.

minacissimis illis vocibus acriter et vehementer respondere statuit, in ea oratione quæ in P. Clodium et C. Curionem inscribitur. Mirabitur fortasse aliquis quod simul in reum ac patronum, judicio jamdiu peracto, Tullius invectus est; res enim obscurior esse videri potest. Haud equidem ignoro scholiastam Bobiensem affirmare Curionem et Clodium cum Cicerone in senatu habuisse quamdam jurgiosam detrectationem, ac visum esse Ciceroni suam orationem conscribere; sed noster in longa sua epistola ad Atticum de ista altercatione mirifica, quæ in fragmentis orationis dilucida apparet, ne Curionem quidem, nisi principio, nominat; et, quanquam H. Meyerus[1] asseverat eumdem orationem adversus Ciceronem uno anno post P. Clodii defensionem habuisse, probabile est, ut opinor, Ciceronem et orationi pro Clodio et orationi a Curione dictæ, quum de senatusconsulto[2] ad pontifices, propter Clodii scelus, referendo agebatur, simul respondisse. Sed de illa re hactenus; etenim hæc ipsa, adeo stuprum istud illustratum est, forsitan fuerunt non necessaria; et ad orationem nostram deperditam venimus.

Antequam opus propositum inchoamus, moneamus ac denuntiemus oportet nostram enarrationem prorsus facillimam esse beneficio viri doctissimi Angelo Mai, qui edidit in lucem amplum cusjusdam Anonymi de illa oratione commentarium, ac C. Beyeri ope, qui, in veteribus scriptis studiose et multum volutatus, postquam cum summa diligentia omnes ad Atticum epistolas scrutatus est, ita sententias explevit, ut magna ex

[1] Oratorum Romanorum fragmenta, p. 351.
[2] Epistola citata.

parte oratio Ciceronis cohæreret. Attamen, quamvis libere fluere videtur nec sæpius adhærescere, eam esse mancam manifestum est, propterea quod vix uno aut altero verbo M. Tullius C. Curionem lædit : novimus enim[1] nostro oratori, quum res esset cum inimico, neque verba neque sententias defuisse, atque eum in lacessendo non imparem, parem autem ac multum semper exstitisse.

Ex fragmentis quæ supersunt atque ex iis quæ C. Beyerus addidit adjunxitque, recte mihi videor augurari hanc orationem, quam quidem habitam, ut suum odium saturaret, M. Tullius scripserat, in tres partes quasi divisam esse atque distractam. Primum P. Clodium probrosis contumeliis vexabat violabatque, et vitia moresque hominis acerbissime carpebat, vel ante vel post C. Curione lacerato; deinde, quo melius vim venustatemque altercationis legentes degustarent, suam cum inimico suo contentionem in oratione lepide interponebat; ac postremum, verbis gravioribus senatores appellans, eorum afflictos animos confirmabat atque excitabat. Ad primam orationis partem ne minimam quidem notam nobis apponere licet, adeo diligenter scholia Bobiensia verborum omnium pondera examinavit. Ita, in principio, nos admonet quam artificioso exordio Cicero uteretur ; neque id injuria : noster enim scibat non modo et suam patientiam sine molestia jactare, et modestiam in testimonio dicendo memorare, et suam dignitatem cum reipublicæ dignitate conjungere, et tandem damnatione prorsus dignum esse

[1] Hoc scholiæ Bobiensiæ in oratione in Vatinium nostram opinionem confirmat : « Qui tamen Curio honorifice nunc a Tullio nominatur, quum vehementer et aspere laceratus sit ab eodem in oratione, qua et ispsum et P. Clodium lacessivit. » (C. x, 1.)

P. Clodium una significare; non modo scibat[1] ejusdem mores impudicos furialesque conciones[2], pœnas quidem sceleri illi nefando constitutas, denuntiare; sed etiam nos jam edocebat quamobrem homini excusso et exhausto opima provincia opus esset[3]. Inde, sicut ex fragmentis insequentibus conjicere licet, non abrupte sed commodissime ad æs alienum adversarii exaggerandum Cicero totus incumbebat, ea mente ut desperatione pecuniæ recuperandæ creditores terreret, iique pro certo haberent debitorem suum, quamvis confirmaret « se comitiis consularibus Romæ futurum, » jam foris esse, quum ei, multo mane frustra[4] venienti, sortitio provinciarum prorsus adversa fuerit. Tum (nam graviorem senatus invidiam inimico studebat conflare) ostentabat hominem istum multorum imaginum, ut tribunus plebis foret, gentibus contaminatis, ad plebem[5] transire gestientem, ibique, æs alienum Clodii pecuniæque cupiditatem denuo irridens, vocibus illius furiosis respondere jam parabat, Curionis filium leviter perstringens, iracundiamque suam patris[6] necessitudini tantummodo condonans. Statim, cum summo lepore in jocando, tenorem dicendi invertebat[7], atque paululum utebatur ficta Clodii, quam ipse substituerat, oratione. Hæc autem festivitas eo magis audientes delectabat, quod priscam severitatem delicatissimus

[1] Fragmentum I. « Statueram... senatus adderetur. »
[2] Hunc locum laudat Quintilianus, lib. IX, c. III.
[3] Vide Quintilianum, lib. VIII, c. III et Ciceronis orationem de Haruspicum responsis, c. XVIII.
[4] Fragmentum II : « Ac vide... quidem offenderet. »
[5] Fragmentum III : « Atque etiam simulabat... absentem esse dicenda. »
[6] Hic locus a C. Beyero integratus difficillime cohæret cum quadam ad Atticum epistola, lib. III, ep. XII.
[7] Fragmentum IV : « Primum homo durus... redarguere possis. »

ille pusio idemque sceleratissimus sibi sumebat, dum M. Tullius suam vitæ rationem eodem loco, non arrogantibus verbis, decorare poterat et simul uno eodem que ictu de statu duos adversarios dejicere. Verum, quum de rusticitate antiqua noster se purgaret, quantam urbanitatem, quantamque asperitatem in respondendo præ se ferebat! Non enim jam adhibebat hanc totius voluntatis fictionem apparentem magis quam confessam, at illam sub aspectum subjectionem, qua non universum P. Clodii vestitum noverimus[1], sed per[2] partes ostendatur quomodo muliebres ornatus vir effeminatus induisset : forma enim rerum adeo mire in hoc loco exprimitur, ut cerni potius videatur quam legi. Ast ad hanc significantem descriptionem vehementior et ardentior figura accedebat atque adjungebatur. Etenim, quasi non potens sui, a senatu sermonem Cicero avertens, adversarium suum acerrime invadebat[3], ita ut fateamur hoc lepore atque his facetiis non minus afflictum esse P. Clodium quam illis tragædiis, quum noster, cum summa celeritate verborum, imagines majorum deperditi hominis testabatur et Appium Claudium pæne ab inferis excitabat. Hic, si versum quemdam excipias [4], e quo quæ desiderantur suspicari non possumus, finem orationis perpetuæ noster faciebat, atque altercationem adumbrabat, omisso illo studio contentionis, quæ, stilo prehenso, semper flaccescit. De hac parte pauciora quidem supersunt; affirmare tantum licet, in decertando, cum aculeo et contumeliis

[1] Fragmentum V : « Nam rusticos... abesse sensisti. »
[2] Vide Quintilianum, lib. IV, c. II.
[3] Fragmentum V : « At, o monstrum... Tu ne quum, » etc.
[4] « At sum, inquit, haud ita illiberali facie. »

Ciceronem fuisse facetum[1]. Ceterum neque, ea quæ nolebat esse in adversario concedendo[2], ironia uti, neque, rogando et instando, in eodem probra congerere desinebat, nisi quum, in conclusione[3], oratione ad senatores conversa, affirmaret non senatus auctoritatem concidisse, non deficiendi tempus esse, sed una plaga dolorem quidem viris bonis accessisse, non autem eorum virtutem esse imminutam. Neque in his erat diffluens ac soluta verborum collocatio; nam, propterea quod non illa fulmina vibrarent, nisi numeris contorta ferrentur, in quadrum[4] redigebat suam vituperationem suamque cohortationem, ut, quod maximum est, cum delectatione, adversario deturbato, audientium animos permoveret.

Ita habita esse videtur in senatu Ciceronis sententia, quantum nos eam constituere fragmenta patiuntur, quæ quidem, ut cursum nostri oratoris perspiciamus, non inutilis est : nam ex ea intelligimus quomodo sese libenter iis fluctibus objecerit, qui, ut ipse fatetur[5], a communi peste depulsi, in semetipsum redundarunt. Verum, si dicendi laudem tantum spectamus, non istam deperditam orationem vehementius desiderare possumus[6], quum sæpius in Cicerone inveniamus quomodo in vituperando asperitatem contentionis humanitate vel moderatione haudquaquam condire studeat, ac sexcen–

[1] Fragmentum VI : « At sum, inquit, absolutus... muliebrium relligionum. »

[2] « Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit. » (Vide Quintilianum, lib. VIII, c. VI.)

[3] Fragmenta VII et VIII : « Sed nolite una .. similes reperti sunt. »

[4] « Erras, Clodi : non te judices Urbi, sed carceri reservarunt; neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. »

[5] De Oratore, lib. I, c. I.

[6] Non judicio assentior viri doctissimi E. Lemaire; vide Proœmium illius de fragmentis orationum M. T. Ciceronis.

tis in locis P. Clodii stuprum, libidines, facinora notarit et carpserit. Non sane ignoro illum, in epistola sua ad Atticum[1], nondum restincto animorum incendio, pugnas, strages, impetus in totam inimicorum manum, in cœlum quasi tulisse; at raro istam orationem in P. Clodium et C. Curionem ad imitandum in institutione sua Quintilianus designavit[2]; raro ex ea sententiarum aut verborum lumina, quibus oratorium opus distinguitur, desumpsit; et, quod est maxime optandum, habemus confitentem reum, si quidem, in quadam epistola ad Atticum[3], dicat Cicero sibi hanc orationem scriptam esse negligentius quam eeteræ, neque ideo suam esse probari posse. Haud scio an in hac re testimonium Ciceronis levissimum esse aliquis duxerit : etenim, illo tempore quo Atticum[4] suum jubebat istius orationis prolatæ incommodis quamprimum mederi, discessum vel potius exsilium jam pertæsus, omni ratione in patriam reditum sibi parare conabatur, et simultates, quas quondam cum viris gratiosis exercuerat, libentissime deponebat; verum, quamvis C. Curionis studium in se convertere M. Tullius gestiret, nullo possim modo credere eum, qui postea versiculos, a Quintiliano[5] ipso paululum reprehensos, cum summa diligentia collaudavit [6] explanavitque, nulla elaboratam esse industria suam vituperationem affirmasse, si, solita prudentia utens, eodem modo hanc dixisset et scripsisset.

1 Ep. ad Atticum, lib. I, ep. 16.

2 Quintilianus, lib. III, c. VII; — lib V, c. X; — lib. VIII, c. III et VI; — lib. IX, c. II et III.

3 Ep. ad Atticum, lib. III, ep. XII.

4 Ep. ad Atticum, lib. III, ep. XII et lib. III, ep. XV. Errat Sigonius, affirmando Ciceronem de oratione sua contra concionem Q. Metelli in hac epistola scripsisse; vide argumentum illius in oratione contra concionem Q. Metelli.

5 Lib. XI, c. I.

6 Oratio in L. Calpurnium Pisonem, c. XXX.

ORATIO DE REGE ALEXANDRINO

Inter orationem in P. Clodium et C. Curionem ac sententiam in senatu habitam de rege Alexandrino quinque interfuere anni, in quos cadit turbulentissimum et tristissimum Ciceronis tempus. Etenim, capitali Clodii odio fere sine ulla intermissione præsente atque urgente, a Cn. Pompeio, quem nimis gloriando valde[1] offenderat, pæne derelictus; despectus a Cæsare[2], qui iratus erat quod ipsum secum ne beneficiis quidem videbat posse conjungi; plebeia multitudine, a qua ad patres defecerat, proditus; hostibus consulum nomine conniventibus, ab Urbe, ab Italia, lege rogata, decedere coactus est; ipsa domus expilata, incensa, sacra est judicata; ac denique aqua et igni, reipublicæ quondam servator, in patria sua interdictus est. Brevissimum quidem illius fuit exsilium : nam, quum effrenatus sese libentius jactaret Clodius atque acta Cn. Pompeii retractare auderet, is, quemquam auctoritate apud populum similem sui evadere ægre ferens, cum P. Len-

[1] Oratio in L. Calp. Pisonem, c. XXX.
[2] Oratio de Provinciis consularibus, c. XVIII.

tulo consule, quem Cicero postea salutis auctorem appellabat ac T. Annio Milone, tribuno plebis notissimo, non solum conspiravit, sed etiam, in reditu nostri oratoris parando, socium sibi et adjutorem C. Cæsarem adjunxit, ita ut, consensu totius populi, frustra vi et cæde Clodianis obsistentibus, lex exoptata ferretur. Verum, quamvis Italia suis humeris Ciceronem ab exsilio reportasset, atque in foro et judiciis, ut antea, ipse pæne solus regnaret, se in republica liberum esse non jam gloriari[1] poterat; et duæ res, una quidem honesta, scilicet grata beneficiorum memoria, altera autem utilior, scilicet infirmitatis, quum minime armis polleret, conscientia, vitæ rationis illi quasi duces fuere, donec bello civili, C. Cæsare et Cn. Pompeio rempublicam dilacerantibus, totus orbis terrarum flagraret. Inter eos, qui suis studiis, laboribus, vitæ periculis Ciceronem complexi erant, longe eminebat P. Lentulus Spinther, qui, post consulatum, Ciliciam provinciam sortitus erat; itaque tempus, quo utilitati et gloriæ amici sui inserviret, cum summa diligentia noster Romæ quærebat; occasionem autem, quod hæc oratio indicat, mox nactus est gratissimam.

Rex Alexandrinus, quem in oratione pro C. Rabirio Postumo Ptolemæum semper Cicero nominat, ab Alexandrinis, qui sæpe in suos reges crudeliter animadvertebant, pulsus erat atque exactus. Causa autem erat hæc. Quum ab Ægypti incolis, qui regem a Sulla impositum, regni decimo nono die, in gymnasio interfecerant, senatu inscio, advocatus esset, quum idem, quia neque genere neque regio animo esse judicabatur[2], in stabili et certa possessione esse vellet, quumque

[1] Oratio pro Plancio, c. XXXVIII.
[2] Oratio adversus Rullum, II, c. XVI.

sciret regni Alexandrini hæreditatem populum Romanum adire in animo habuisse, in obtinenda Romanorum societate pertinaciter tetenderat, omni genere commeatum in bello Aristobuli Pompeium adjuverat, large pecunias inter nobiles dividerat, ac tandem, Cæsare consule, titulo exoptato erat ornatus. Verum, ut pro certo haberet se tantummodo precarium habere imperium, paulo post, P. Clodio rogante[1], M. Cato Cyprum, cui præfectus erat Ptolemæi frater, in provinciam redigere jussus erat. Qua re commoti, Alexandrini a Romanis quamprimum deficere statuerunt, et regem adversantem repugnantemque pellere non dubitarunt; at iste, quanquam M. Cato, qui iis fere diebus sese Rhodum contulerat, in tali certamine suam auctoritatem interpositam non recusabat, ea mente Romam statim venit, ut, senatu imperante atque adjuvante, propter fædus factum, in regnum restitueretur. Res in senatu acta est, et per aliquot dies magna exstitit contentio : alii enim Ægyptum non regi restituendam sed imperio Romano adjiciendam esse censebant; alii Pompeio[2], alii Lentulo, alii tribus legatis[3] regis reditum dari suadebant. Verum difficile est affirmare qua die suam orationem de rege Alexandrino Cicero dixerit; nam ex fragmentis quæ supersunt plane apparet, ut opinor, nostrum oratorem, in sententia habenda, Crassi sententiam impugnasse, qui tunc temporis, ut scholia Bobiensia nos edocet, de Ægyptii hæreditate frequentissime præjudicatum esse asseverarat, dum, in epistola quadam ad familiares[4], novimus in hac re

[1] Vide scholiam Bobiensiam in oratione pro P. Sextio, xxxvi, 3 — et Ciceronis orationem pro domo sua, c. viii.

[2] Ep. ad Quintum Fratrem, lib. II, ep. ii.

[3] Ep. ad Familiares, lib. I, ep. i.

[4] Ep. ad Familiares, lib. I, ep. i.

eumdem Crassum tres legatos decerni voluisse. Hoc unum constat, scilicet hanc provinciam, ut regem reduceret, vehementer simul ac secreto Pompeium concupiisse, atque in tali tempore Ciceronem et officio erga Lentulum mirifice et voluntati Pompeii præclare satisfecisse[1], quum P. Lentuli causam aperte tueretur.

In sententia sua, ut ex quodam loco Fortunatiani[2] conjicere licet, partitionem, quæ μικτή potest dici, Cicero adhibens, in propositione, id quod contra dicebatur refellendo, incipiebat. Etenim, ut supra dictum est, patet illos senatores, qui ante Ciceronem sententiam dixerant, « testamentum Alexandri regis, quo is populum Romanum scripserat regni hæredem, ratum » esse futurum censuisse : ergo, antequam sua confirmaret, contraria redarguere studebat, nec solum variis firmisque argumentis sed etiam adversarios facete irridendo, ut eorum auctoritatem penitus infringeret. Primum omnium, post brevia principia, quæ quidem hortatoris[3] sunt, ut dissentientibus invidiam apud senatum faceret, quod ex primo versu de scholia Bobiensia excerpto ejusdemque commentario conjicere licet, odiosis verbis denunciabat qua spe, qua avaritia, qua diripiendi cupiditate, Ægypti possessionem populo Romano nonnulli darent, affirmans eos sibi bellum in opulentissima illa regione administrandum concupere, non ut exposcerent aut sibi vindicarent hæreditatem, sed ut raperent, ut[4] latrocinarentur. Deinde, domesticis exemplis utens, quæ in suadendo semper plurimum valent, dicebat quomodo majores, qui præter

[1] Ep. ad Quintum Fratrem, lib. II, ep. 2.
[2] In Partitione et in Hypophoris.
[3] Ciceronis Partitiones, Orat., c. XXVII.
[4] Scholia Bobiensia, I, 1.

ceteras gentes appetentes gloriæ atque avidi laudis fuerunt, magis æquitate atque honestate quam divitiarum cupiditate ducti, contra libidinem animi, in maximis rebus sese gessissent, et statim quid senatus esset facturus in tali tempore ante oculos proponebat; illud autem satis apparet ex illo fragmento[1], quo mores antiquos ac patrum instituta cum his novis pessimisque perite confert. Verum apud homines bene institutos, in consilio dando, non solum quod ad utilitatem sed etiam quod ad laudem[2] honestatemque spectat tractare debet orator : itaque noster ad dignitatem imperii Romani famamque apud externas gentes pertinere confirmabat non eum esse populum Romanum, qui omnium regnorum cupidus esse videretur, sed hoc credi vulgarique eum pro dignitate apud omne genus humanum pugnavisse, ac temperantia abstinentiaque nationes exteras semper superasse : inde senatui, qui in suis rebus ipse judicabat[3], imposita necessitas modestiam, innocentiam humanitatemque præstandi. Ad hoc, ut scirent senatores quid a se, non magis quia fecerant quam quia id illos facere decebat, desideraretur atque exspectaretur, memorabat Cicero illos paucis his annis non hæreditatem totam obire, sed ex hæreditate tanta[4] unum nomen agnoscere voluisse. Postquam ita splendorem imperii Romani magnifice defenderat, ac leviter paucorum potentium avaritiam notaverat his verbis : « Ut bellum gerendum esse censeret, qui mentionem pecuniæ fecerat, » aperte Crassum oppugnabat, qui

[1] « Si, hercle, in nostris rebus tam acres ad pecunias, » etc.

[2] Ciceronis Partitiones orat., c. XXVI.

[3] « Sed tamen, quæ sunt nostra judicia. » — « Debent esse modestissima : quoniam, » etc.

[4] « Qui ex hæreditate tanta, » etc.

Ægyptium bellum cum Jugurthæ[1] bello comparare non dubitaverat. Quo in loco, si ex Fortunatiani quodam libro vir doctissimus Orelli vere suspicatus sit, verba ipsa adversarii sumebat, quo facilius amplificando tum dicta extenuaret abjiceretque, quia inter se ambo bella revera discrepabant, tum oratori fidem omnino tolleret. Hanc autem primam orationis partem, qua pro gloria nominis Romani gravissime locutus erat, nobilissima illa concludebat sententia, quæ, quod senatu dignum foret, non autem quod in tali re summo jure fieri posset, edocebat, quæque honori summo Ciceroni est : « Ego te, nisi das aliquid, hostem; si quid dederis, regem et socium et amicum judicabo. » — Probaverat Cicero non e re, non e dignitate populi Romani esse ut testamento Ægyptum repeteret; verum nonnulli cupidissimi senatores non solum Ptolemæum injuria regnum occupasse affirmabant, sed etiam omni honore, ob facinora patrata, indignissimum judicabant : quapropter cum mira accuratione objecta crimina purgare noster conabatur. Ex hac autem secunda orationis parte duo tantum fragmenta supersunt, quibus fidem facit regem Alexandrinum non eum[2], cui successerat, interfecisse. De iis disserere supervacaneum est, adeo in iisdem explicandis exornandisque acumen judicii ingeniique scholiasta ostentare studuit; et eadem dicere, mutatis tantum verbis, valde insulsum esset. Quum multa verba Cicero fecisset quare hoc bellum pro rege Alexandrino esset necessarium, de belli genere, de magnitudine, ut illud e Marcian. Capellæ Rhetorica[3] desumptum plane indicat : « Difficilis ratio

[1] « Sic est justa causa belli, » etc.
[2] « Quum ille rex sit, etc. — Atque illud etiam constare video. » etc.
[3] Ed. Capperon, p. 428.

belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis; » et tandem, haud aliter atque in oratione pro lege Manilia, de imperatore ad id bellum deligendo sine dubio dicebat. At hæc postrema tota evanuere, quæ quidem noscere ac tractare operæ pretium esset : etenim minime in illa orationis parte summa calliditas defuerat, quum apud Pompeium offensionem vitare Cicero scisset, quanquam extraordinarium imperium, cujus semper fuit avidissimus, non dandum esse illi censuerat, ac suaserat cum imperio mittendum esse P. Lentulum, qui pæne in iis ipsis locis aderat atque habebat exercitum. Ceterum vana atque irrita fuit Ciceronis eloquentia : senatus enim, verbo religionis calumniam comprobans, re autem timens ne locuples et copiosa regio diriperetur, regem reducendum esse a P. Lentulo sine exercitu statuit, ita ut nihil nisi offensio illi periculosa proponeretur. Hujus rei exitus ab omnibus notissimus est. P. Lentulus enim, quamvis hanc provinciam et auctoritate senatus et sorte habuisset, propter interpositam religionem[1], eam statim deposuit, dignitatique quam ambitioni suæ servire maluit ; et paulo post A. Gabinius, qui, incitante Pompeio, etiamsi impediret religio, senatus sententia, jussa populi, Ægyptium regem in regnum restituerat, pecunia sua audaciæ cupiditatisque gravissimas pænas persolvit; quumque ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset[2], a populo non reciperetur, in perpetuum, nequicquam Cicerone ipso defendente, exsilio mulctatus est.

[1] Oratio in L. Calp. Pisonem, c. XXI.
[2] Oratio pro Rabirio Postumo, c. IV.

ORATIO PRO P. VATINIO

Si, bona voluntate in eos, qui de ipso optime meruerant, instinctus, Cicero in senatu, obscure Cn. Pompeio repugnante, P. Lentuli partes tutari non dubitasset; in obsequium Cæsaris proclivior, P. Vatinium, in quem, biennio ante, vehementissime erat invectus, defendendum suscepit. Neque tamen mirum; nam, quum aperte in eo reprehenderetur[1] quod nimium multos defenderet; quumque, Cn. Pompeio auctore, Gabinii[2], injuriis contumeliisque acerbissimis quondam lacerati, summo studio causam egisset, eidem licebat, Cæsare in hoc invitante ac rogante, pro P. Vatinio, reo ambitus, quanquam isti mortem, quasi populo rem gratissimam[3], sæpe exoptarat, orationem dicere. Hanc in nostro oratore animi mobilitatem certatim carpserunt Germani quidam[4], viri doctissimi; ii autem, quum constantiam in unaque sententia permansionem magnifice exornarunt, libentissime obliti sunt

[1] Oratio pro Cn. Plancio, c. xxxiv.
[2] Oratio pro C. Rabirio Postumo, c. viii.
[3] Oratio in Vatinium, c. xvi.
[4] Drumann et Muller.

Ciceronem in tali tempore necessitati parere esse coactum, et potuisse[1], sine ullo reipublicæ detrimento, respicere etiam aliquando salutem tum suam tum suorum. Equidem fateor M. Tullium, quasi sibi nonnullius esset conscius culpæ, sæpe de hac consilii mutatione se purgare tentasse, modo affirmans se, velut præstantes[2] in republica gubernanda viri laudati, temporibus assentiri; modo denuntians se sententiam[3], tanquam aliquod navigium atque cursum, ex reipublicæ tempestate moderari; at, antequam nostro novum institutum aliquis objiciat, volo hoc primum quærat ac scrutetur, scilicet num, republica in triumvirorum jus atque ditionem jam concedente, alia vitæ ratione et sibi servire et suis consulere Cicero potuisset. Ceterum, seu sibi obstrepere in animo habuerit, seu otium[4] cum dignitate se tenere crediderit, quia, bonorum voluntatibus immutatis, tueri quæ mutare non poterat malebat, quum P. Vatinio defensurus adesset, ad suum fratrem scribebat rem esse[5] valde facilem. Attamen, istis etiam omissis cum Cæsare in republica vel assensionibus vel dissensionibus, et quanquam, propter opes Cæsaris, de judicii exitu certus erat, arrogantibus verbis sibi planam esse defensionem profitebatur. Etenim cum adversario neque neglecto neque ignoto illi res erat, sed cum C. Licinio Macro Calvo, qui, etsi ætate inferior, cum Cicerone ipso litem[6] de principatu eloquentiæ diu habuit, et de quo nonnulla dicere opus

[1] Oratio pro Cn. Plancio, c. XXXVIII.
[2] Epist. ad Div.; ep. IX.
[3] Oratio pro Cn. Plancio, c. XXXIX. Eadem pæne verba in oratione pro L. Cornelio Balbo, c. XXVII, leguntur.
[4] De Oratore, lib. I, c. I.
[5] Ep. ad Quintum fratrem, lib. II. ep. XVI.
[6] Seneca, Controversiarum, lib. III, c. XIX.

est, si causam P. Vatinii penitus perspicere ac cognoscere voluerimus.

Omnes, qui vel primoribus[1] labris dicendi artem apud Romanos attigerunt, magnis laudibus Calvi eloquentiam extulere, atque istius properatam[2] mortem deflevere, quæ litteris latinis non mediocre damnum sine dubio attulit. Attamen Calvi existimatorum duplex est genus. Quum enim illi cum Cicerone laudis oratoriæ esset certamen; quum animo, ut ita dicam, paululum noster angeretur, quod quidam adolescens non solum se æmulum sed etiam ipsi dicendi gloriæ obtrectatorem esse profiteretur; quumque, quo tempore gloriæ seniorum succrescebat Calvus, tum in orationibus tum in carminibus[3] lacessere soleret Cæsarem et Pompeium, quorum Cicero evaserat socius, adjutor amicusque : alii[4] M. Tullii sententiam secuti sunt, qui, solutus[5] et enervis a Calvo habitus, Calvum habebat exsanguem et attritum, quique de illo, si non iniquum, molestum certe judicium tulit; alii[6] autem, non in verba magistri jurantes, sed, libris Calvi perlectis, illius facultatem dicendi censentes, non solum concitatum oratorem esse et plenum ingentis animi æstimarunt, sed etiam in eodem vim Demosthenis et compositionem citatam invenere. Ceterum in hoc Ciceroni fidem omnino habere difficile est; ille enim Calvo[7] vim defuisse af-

1 Plinius, *Hist.*, lib. VII, c. XLIX. — Velleius, lib. II, c. XXXVI. — Columella, de Re rustica, lib. I. — Appuleius in apologia, t. II. — Fronto. p. 171.

2 Mortuus est triginta quinque annos natus.

3 Sueton, Cæsar, c. XLIX.

4 Quintilianus et Tacitus.

5 Tacitus, de Oratoribus, c. XVIII.

6 Plinius J., Ep., lib. II, ep. I; Seneca, Controversiarum, lib. III, c. XIX.

7 Cicero ad Trebonium, lib. II, ep. XXI.

firmat videlicet quia Atticum se dici oratorem volebat, dum Quintilianus[1] frequenter vehementem quoque fuisse ejus orationem fatetur, dum Seneca[2] illum fuisse violentum accusatorem affirmat; dum Tacitus ipse [3], qui antiquorum oratorum sermonem horridum respuit, eumdem sublimius et cultius dicendi genus intellexisse non negat. At, si inter Romanos de Calvi ingenio atque eloquentia quædam dissensio fuit, constat tamen inter omnes illum in Vatinianis accusationibus quid dicendo posset ostentasse; quas inter, ea est longe celeberrima quam, L. Domitio Ahenobarbo, Appio Claudio coss., constituit. Etenim, quasi sibi adscivisset inimicum Vatinium, eum de vi accusando [4], ut obsidem reipublicæ daret[5], orsus est in foro dicere; postea [6] in jus eumdem vocavit ea tempestate qua Cicero in Vatinium dixit; tandem, quum semper e judicio absolutus evaderet, quumque, malis artibus Cæsaris adjutus, præturam iste obtinuisset, dum M. Cato competitor ferret repulsam, hujus rei indignitate commotus, prætura jam gesta, ambitus accusavit Vatinium, atque in hoc eo magis exsultavit quod Ciceronem adversarium habebat. Ex illa oratione fragmenta pauciora supersunt quam ut eam plane adumbrare possimus; verum, ut ex quodam loco Quintiliani conjicere licet[7], illum certum est non Verrinis accusationibus fuisse inferiorem. In principio, ut animos judicum a reo alienaret, ut eos faceret attentos, ut simul livorem cum odio moveret,

[1] Lib. X, c. I.
[2] Seneca, locus jam citatus.
[3] Dialogus de Oratoribus, c XXI.
[4] Scholia Bobiensia in Orat. in Vatinium, c. XIV, 3.
[5] Quintilianus, lib. XII, c. VII.
[6] Scholia Bobiensia in orat. in Vatinium, c. IV, 1.
[7] Lib. VI, c. I.

rem novam esse, magnam, ad exemplum pertinentem iis verbis ostendebat, quæ Julius Severianus[1] servavit : « Hominem nostræ civitatis audacissimum, de factione divitem, sordidum, maledictum accusabo. » Deinde, ut probabile est, crimina congerendo pressus, judices incenderat, non modo in patronos Vatinii sese invehendo, sed etiam de statu reum superbiorem dejiciendo crebris rogationibus, quarum hæc una exstat : « Perfrica frontem et dic te digniorem esse qui prætor fieres quam Catonem[2]. » Nequicquam Vatinius, qui probabilis erat cavillator, in respondendo ea celeritate ingenii utebatur[3], quæ oratoris contentionem frangere potuisset : adeo enim incensus, vehemens ac concitatus erat Calvus, ut reus, memorante Seneca[4], subito quasi invitus exsurgeret et exclamaret : « Rogo vos, judices, num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet. » Denique, postquam rem ornarat atque amplificarat ea dicendi figura præcipue, quæ gradatio vocatur, quamque, ut eam traderet latinam[5], Quintilianus imprimis desumpsit, in epilogo, ea mente ut judices permoveret perterreretque, quantam gloriam ipsis damnatio rei, quantam autem deformitatem absolutio afferret hoc versu indicabat, quem egregie Seneca[6] et Quintilianus laudaverunt : « Factum ambitum scitis omnes et hoc vos scire omnes sciunt. »

[1] Syntom. Rhetor., p. 342.

[2] Quintilianus, lib. IX, c. II.

[3] « Sunt quædam verisimilia, unde Vatinius dixit hoc dictum, quum reus, agente in eum Calvo, frondem candido sudario tergeret, idque ipsum accusator in invidiam vocaret : « Quamvis reus sum, inquit, et panem candidum edo. » (Quintilianus, lib. VII, c. III.)

[4] Seneca, Controversiarum lib. III, c. XIX, et Catulli carmen LIV.

[5] Quintilianus, lib. IX, c. III.

[6] Seneca, ep. XCIV, et Quintilianus, lib. VI, c. I.

Quomodo Calvi orationi, non solum verbis ornatæ et sententiis sed etiam auribus judicum[1] accommodatæ, in qua, ad exemplum Demosthenis nihil placidum[2], nihil lene erat, Cicero responderit, ex uno fragmento, quod ipse servavit[3], nequaquam licet suspicari. Illud tamen affirmare possimus, ex hoc loco qui nobis defensionis proœmium esse videtur, Ciceronem esse imitatum eam L. Licinii Crassi orationem, quam pro Manio Curio apud centumviros contra Q. Mucium Scævolam quondam habuerat. Etenim, quum ex animorum motu noster intellexisset quid tractandis judicibus perfecisset Calvus, ut a severitate in hilaritatem eos traduceret, facete versus interponendo incipiebat, atque ejusdem generis sententiis non solum delectabat, quod est unum e tribus quæ ab oratore effici debent, sed etiam honoratissimorum virorum exemplis officii sui necessitatem, quæ sane vix credibilis esse videbatur, excusabat, atque ista urbanitate opportuna fiduciam, quæ non semper opinione arrogantiæ laborat[4], præ se ferebat. Nunc de reliqua oratione disserere perquam difficile est, quanquam, e scholia Bobiensia ad Interrog.[5]. Vatin., Ciceronem didicimus plenissime purgavisse, defendisse et non sine laude probavisse Vatinium jure ac merito se Pythagoreum dicere posse, quod quidem antea contumeliose irriserat, et quanquam divus Hieronymus oratiunculam Ciceronis illam non inutilem esse denunciavit, quia ibi sodaliciorum[6] fiebat mentio. Hunc autem novissimum locum non in-

1 Tacitus, Dialogus de Oratoribus, c. XXI.
2 Seneca, Controversiarum lib. III. c. XIX.
3 Epist. familiar., lib. I, ep. IX.
4 Quintilianus, lib. IV, c. I.
5 C. VI, 1.
6 Divus Hieronymus, adv. Ruf., lib. III, t. IV, 2.

juria hodie desideramus : inde enim cognoscere fortasse possimus quomodo conflarentur et efficerentur ea sodalicia, quæ sola illo tempore conciones tenebant[1], quibusque fretus ac subnixus tota comitia suis humeris se sustinere Clodius jactabat[2]. Attamen hanc orationem deperditam ne nimis molesto animo prosequamur : verisimile est enim semel ac sæpius Ciceronem tale officium in Vatinium, cujus mortis usura frui gestiebat[3], sibi tacite exprobrasse.

1 Vide Q. Ciceronem de Petitione Consulatus, c. XIII.
2 Vide orationem pro T. A. Milone, c. IX.
3 Quintilianus, lib. VI, c. III.

ORATIO PRO M. ÆMILIO SCAURO

Eo anno, quo P. Vatinii causam Cicero suscepit, orationum copiam, ut ita dicam, effudit, inter quas eminet longe inclytissima M. Æmilii Scauri defensio. Nostra ætate, post virorum doctissimorum Angelo Mai et Caroli Beyeri diligentissimas investigationes, non solum aliqua ex parte hanc orationem fingere possumus, sed etiam, quum reus esset genere, nobilitate ac dignitate præstantior, quumque aditus ad summum honorem ei daretur, quæ fuerit Romæ causarum illarum contentio judicare: quod quidem oratorium opus maximum esse et difficillimum noster existimabat. Ex Asconii argumento ac subtili viri eruditissimi Amedæi Peyron explanatione, omnia, quæ ad hanc causam pertinent, plane nota habemus. M. Æmilius Scaurus, fretus memoria patris quem propugnatorem reipublicæ in oratione[1] pro P. Sestio Cicero appellat, primum voluntatem omnium in se concitavit, quod, vitrico[2] suo L. Sulla victore et munifico in socios victoriæ, ita abstinens

[1] C. XLVII.
[2] Fragmentum Scaurianæ orationis, 45.

fuerit, « ut nihil neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit » : itaque anno suo et quæsturam et ædilitatem et præturam obtinuerat. At quum, ædilis creatus, ludos[1] apparatissimos magnificentissimosque fecisset, quumque ære alieno propter largitiones laboraret, rem suam reficere ac stare, provinciam depeculando, statuit; et, Sardiniæ præpositus, hanc regionem ita vexavit perdiditque, atque adversus incolas ita arroganter et crudeliter sese gessit, ut non modo certa avaritiæ monumenta ubique reliquisset, sed etiam, si Ammiano Marcellino[2] fidem adhibeamus, non centum atque viginti homines potuisset denunciare, quibus in provincia nihil abstinuisset. Quid igitur mirum, si, ut ait Asconius, « quum ad consulatus petitionem Romam rediisset, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario, adolescente parato ad dicendum et notæ industriæ, » fuit statim repetundarum accusatus. Non accusator tamen ignorabat magnam sibi rem esse suscipiendam, quia Æmilius Scaurus ex virorum gratiosissimorum amplitudine adjumenta et præsidia quærere jamdudum parabat; verum, ut omittam rei perditam et comploratam defensionem, auctoritate Appii Claudi Pulchri Triarius subnixus erat. Iste enim, quodam novo mendacii genere excogitato, quod ex Ciceronis epistolis audivimus[3], cum duobus Æmilii Scauri competitoribus iniquissimam pactionem fecerat, ut, per legem curiatam, quæ nunquam ferri debebat, in Ciliciam, quam ipse provinciam asciscebat, sese conferre posset; et ideo summa ope nitebatur ut M. Scaurum, quem ædilitas et

1 Oratio pro P. Sestio, c. LIV.
2 Lib. VIII, c. I.
3 Ep. ad Atticum, lib. IV, ep. XVIII et ep. ad Quintum fratrem, lib. III, I.

memoria patris apud rusticos imprimis commendabant, a consulatu removeret. Non igitur solum illi « dicam per Triarium inferendam curavit; » sed accusationem, quo facilius, comitiorum consularium causa, infamiam ac periculum Scauro inferret, ipse ordinavit. Nam, quum nomen Triarius apud prætorem detulisset, quumque prætor inquisitionem triginta dierum dedisset[1], et sustulit ille inquisitionem, et, pridie quam comitia consularia celebrarentur, uno teste producto, primam actionem confecit, verbo, ne « Scaurus[2] ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum, et, sicut pater ejus fecisset, antequam de eo judicari posset, magistratum iniret ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet; » re autem, ut causa comperendinata post habita comitia consularia, quod quidem forte non evenit, disputaretur. Ex accusatione Triarii, cujus nomen in suo libro Meyerus omisit, nihil, ut ita dicam, superest. Verum, quum, in libro qui Brutus[3] inscribitur, magnis laudibus Triarii in adolescentia plenam litteratæ senectutis orationem Cicero effert, et severitatem in vultu et pondus in verbis et omnia quæ semper considerata exibant ex ore, verisimile est eum in nobili causa has dicendi virtutes præ se tulisse. Itaque, quanquam noster asseverat congestam[4] fuisse accusationem magis acervo quodam criminum quam distinctione aliqua generum et varietate, quoniam idem argumentis ad singula apposite respondet, pro certo habeamus in accusatione ins-

[1] Vide Amedæi Peyron accuratissimam explanationem et fragmenta orationis Scaurianæ.

[2] Argumentum Asconii.

[3] C. LXXVI.

[4] Fragmentum infra positum.

truenda non acre judicium Triario defuisse, quum, ut ex fragmentis defensionis apparet, crimina quæque suo momento ponderata ille disposuisset, quumque, quod Cicero ipse fatetur, qua in re oratio claudicaret intelligens, accusationis tam festinanter a se susceptæ causam accuratissime reddidisset. Ceterum, si non fuisset accusator vendibilis, quid est cur reum tanta dicendi facultate ac copia Cicero existimasset esse defendendum?

Marcianus Capella in suo opere multiplicem ex pluribus quæstionibus[1] Scauri causam consistere nos edocuit, quum de Bostaris nece, de Arinis uxore ac Decimis tribus exquireretur[2]. Imprimis igitur ponamus, hujus testimonio freti, ex prima parte pauciora exstare quam ut de illa firmum ac verum judicium ferre possimus; secundam, ut nobis videtur, pæne integram ab oblivione esse vindicatam; in tertia autem, quæ una maxima erat, totum crimen frumentarium desiderari. Ne tamen ideo credamus hanc Capellæ divisionem totam Ciceronis orationem complecti; nam, ut jam videre est, seu casu, seu de industria, is non solum proœmium et perorationem Ciceronis sed etiam illud magnificentiæ ac sumptus crimen omnino omisit.

In proœmio, quod proprie cum rei persona congruit et cohæret, sine arrogantia, sine autem exitus diffidentia ac timiditate, M. Scauri conditionem honestissime Cicero dolebat, atque affirmabat se non tamen hujus rei pænitere, quum illius pater, reipublicæ custos, « sæpenumero ab inimicis ad causæ dictionem »

[1] Lib. V de Genere demonstrativo.

[2] Apparet eos fuisse aratores qui summas injurias in Sardinia acceperant, velut in Sicilia, Verre administrante, Nympho Centuripinus, Eubelides, Polemarchus compluresque alii.

vocatus esset. Hoc principium nonnullis laudibus exornarunt et Quintilianus[1] et divus Augustinus[2]; at, si quanta dicendi arte « turpitudinem criminis dignitate personæ contegeret » consideravit alter, alter autem quomodo bene fieri possent in exordio exempla edocuit, neuter animadvertit patris illa commemoratione ac comparatione judices sensim ad id adductos esse ut summum civitatis virum et Sardiniæ populatorem in æquo ponerent. Ad hoc, ut statim erga patronum ac reum conciliarentur, de se ipso dicebat parcius, ita ut non ambitione sed officio et grato animo ad hanc causam suscipiendam ductus esse videretur. Tum, postquam partem suam ita commendarat, ad expositionem et probationem transibat, ad quam judices præparabat, et commonendo ut ordini criminum animum attenderent, et accusationem infirmando, cujus obscuritatem et tenebras levissime reprehendebat. Utrum accusatoris in criminibus diluendis an diversum ordinem Cicero sit secutus difficile est affirmare; attamen plane apparet nostrum in respondendo non quid sæpissime sed quid esset utile esse intuitum. Non enim gravissimum quidque primum emovebat, sed ante omnia disserebat de levioribus, tum quia gravissimi defensio erat difficilior, tum quia, judicibus omnia falsa esse existimantibus, ultima cautius aggredi poterat. De illa orationis parte, qua veneni dati Bostari cuidam Norensi suspicionem removebat, fragmenta tantum[3] pauca et manca supersunt. Ex iis quidem suspicamur non solum defensorem negasse esse factum, de causis

[1] Lib. IV, c. I.
[2] Princip. Rhetor., p. 328 Capp.
[3] Marcianus Capella, lib. V.

repentinæ mortis disserendo, sed etiam ex persona[1] rei, ex fortuna, ex potestate, innocentiæ probationes petiisse; præterea Quintilianus[2] nos edocet in matrem Bostaris veneno necati culpam Ciceronem avertisse; et, personas causasque comparando, deinde orationem diversæ partis imitando, in contradictionibus totum exposuisse crimen, atque ista expositione fidem accusatori omnino abstulisse. Illam artificiosam argumentationem in manibus esse imprimis velimus; nam, nisi plane adversarium deturbasset, nunquam in ratiocinando cum tanta animi fiducia istum ita interpellasset: « Agedum, ego defendi Scaurum, Triari; defende, tu, matrem Bostaris, quam ipsam arguo huic culpæ esse affinem » Denique, paucis additis ut in M. Scauro scelus tale[3], exemplo allato, incredibile esse videretur, ad crimen incontinentiæ, intemperantiæ ac libidinum venerat; et, quia causa erat multiplex, huic parti aliquam dabat præfationem.

Triarius criminabatur Arinem quemdam a M. Scauro fugere esse coactum, quod suam conjugem istius libidini dare nollet, atque eamdem injuriæ remedium suspendio quæsivisse. Hoc autem crimen non solum diluere Cicero tentabat, sed etiam uxoris letum, non tamen eodem modo quo circa Bostaris mortem erat argumentatus, in Arin ipsum avertere tentabat. Verum, quasi non sua ipsi argumenta satis firma esse viderentur, ut animos judicum a rei atrocitate arceret, hilaritatem excitabat et digressione aliqua utebatur. Primum Arini irridebat, quem sibi in fuga consulentem castori lepidissime comparabat, dein, postquam pauca degustave-

1 Vide Fragmenta sub hoc titulo: I, 4.
2 Lib. VIII, c. II et lib. V, c. XIII.
3 « Si, mehercule! judices, pro L. Tubulo dicerem, » etc.

rat de communi appetitu ad vitam tuendam, exempla congerebat, quibus id ita esse probari poterat. Nec domesticis exemplis contentus erat, sed græcas fabulas et doctrinam enarrare illi vacabat, dum subito ad rem aptus et concinnus reditus fieret : nam quærebat ab accusatore num Platonem nosset ista Sarda, ac, jocandi causa, istius deformitatem et senectutem commemorabat. At, si in refutando risus semper valet, non tamen probationes omnino tollere potest; itaque, quum neque adhibere testes neque argumenta sumere in crimine avertendo ei liceret, ad opinionem, ad famam, ad rumorem confugiebat, et de mulieris morte duplicem narrationem, brevissimam quidem, salsam autem, fingebat. In hoc tamen loco claudicare nobis defensio videtur : etenim, in principio, affirmabat Cicero incredibile esse Arinis uxorem prætoris licentia adactam esse ut sibi mortem conscisceret; et, in perpetuitate dicendi, asseverabat non a natura rerum abhorrere illam, pellicatus dolore concitatam, mori quam id perpeti maluisse. Sed nequaquam patiebatur diutius judices ista contradictione aliquantulum moveri; narrabat enim facete atque urbane quomodo, collum patronæ digitulis duobus oblidente quodam liberto, facilius anicula emori potuisset. Re narrata, ut vi quadam videretur affectus, si recto itinere parumper depulsus esset, utque judicem jam docilem atque erectum incenderet, de more[1] suo, vehementissime hanc orationis partem ita concludebat : « En quibus familiis quam fædis, quam contaminatis, etc. »

Restabat Ciceroni diluendum id quod caput erat,

[1] Confer orationem pro M. Fonteio, c. xiv et orat. pro L. Flacco, c. xxv et xxvi.

scilicet frumentarium crimen; sed, quum accusator reum oppressisset atque obruisset Sardinia pæne tota teste, defensori necesse erat ut præmunitione et aliqua præfatione totius provinciæ consensum imminueret atque elevaret. Itaque, postquam apud judices exsultaverat quod omnem jam a reo suspicionem penitus sustulisset, Triarium appellans, graviter edocebat quamobrem non re, non causa victus esset : nam testium, « in quibus est impunita mentiendi licentia, » auctoriatem modo infregerat auctoritate argumenti, « quod manet immutabile neque fingitur ab oratore sed sumitur. » Verum non ad antea perpurgata crimina, sed ad id gravissimum quod exspectabatur hæc comparatio pertinebat, ut ex consequentibus suspicari licet. Confitebatur enim, quum accusator Sardorum agmen induceret, se nequaquam disputare posse; et, judicum jurejurando implorato [1], sua confirmabat, tum testium sermones describendo, tum imprimis interrogato sibi ipse respondendo, ita ut ex multitudine Sardis istis fidem tolleret, ac judices pro certo haberent defensorem, non tam diffidentia quam causæ necessitate, uno impetu totam aciem prosternere statuisse.

Quum ita quod erat robur et firmamentum totius accusationis primum labefactasset, maximum totius Sardiniæ frumentarium crimen attingere cogitabat; sed, ut tædium judices minime caperet eosque in continenti oratione paratos erectosque ipse efficeret, ac simul ut a proposito declinare non videretur, ab iis petebat ut defensionis suæ quasi fundamenta jaceret, et denunciabat se dicturum esse (nam in partes hunc locum di-

[1] Confer Ciceronem, de Officiis, lib. III, c. x et Demosthenem, initio orationis suæ pro Ctesiphonte.

videbat), primum de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro, denique ad hoc horribile et formidolosum frumentarium crimen esse accessurum. Ergo, illud crimen dissoluturus, accusatori invidiam facere incipiebat, ostendendo quam ferox, quam improbum, quam dolosum esset hoc accusationis genus, tantum comitiorum consularium causa comparatum. Neque hæc argumentis aut rationibus sed exemplis, quæ maxime valent quæque varie tractabat, studebat probare, et deinde significando quomodo in candidatorum petitione Appius Claudius sese interposuisset. Primum, quasi persuasisset adversarius, imminuebat, elevabat et istum, ut ita dicam, contemnebat, illius fiduciam cum L. Ælii, faceti libertini, audacia, sordidissimum hominem in judicium vocantis conferendo; et, paululum animis ita delectatis, de se ipso tam graviter dicebat, ut non studium advocati sed pæne testis fidem adhibere videretur. Memorabat enim quanta cura [1], quanta conscientia quantaque criminum comparatione ipse et Siculorum et Reatinorum causam constituisset; atque, hæc honestatis signa proferendo congerendoque e contrario ea quæ non erant in Triario, ab eo alienabat, valde autem sibi benevolentiam conciliabat. Ad hoc, ipsius accusatoris nomen interpretando, ne vel minimum argumentum omitteret, eum scibat leviter perstringere. Tum qua de causa tanta celeritate et festinatione Triarius usus esset Cicero edocebat. Hic nobis erat necesse ostendere quam subtiliter, quam caute, quam dissimulanter hunc locum noster tractaverit, quam mirifice caverit « tum ne Appii inimicitia obesset causæ clientis, tum ne revelata pac-

[1] Vide C. J. Victoris Artem rhetoricam, c. v', § 4 : de locis circa rem.

tione, amicitiam vix redintegratam rumperet; » verum in enarratione sua hæc subobscura ita explanavit illustravitque noster vir doctissimus Amedæus Peyron, ita excogitatam esse hanc de Caio Claudio consulatum petente historiam dilucide demonstravit; ita quo animo in Appium Claudium esse Cicero deberet ex ejusdem epistolis patefecit, ut hanc commenticiam expositionem attingere otiosum atque imprimis difficilimum mihi esse videatur. Ergo sit mihi satis monere Ciceronem ex solito hunc locum concludere, ut judicum animos attente audientes quo vellet ducere posset ac flectere.

Hæc de toto accusationis genere orator disputaverat, et jam auctoritatem testium, quos spe præmiorum affirmabat de fama Scauri certatim detraxisse, imminuerat, quum ad eos, nempe ad alterum caput, ut ipse dicit, transibat. Non mihi enarrationem meam dilatare in animo est, monstrando quo totius Sardiniæ testimonium modo noster elevaret; etenim isto argumentationis genere sæpius est abusus. Verum qua ratione fidem testium tollat consensio, tollat cupiditas, quæ a Cicerone ficta esse videtur, tollat denique natio, scire velim, quasi non ex indiciis, monumentis, tabulis, verum ex hominum origine, gente et vestitu testimonium penderet. Quid enim ad M. Scauri innocentiam pertinet Sardos a Pœnis, fallacissimo genere, ortos esse; Sardiniam nullam habere amicam populo Romano ac liberam civitatem; Sardum denique testem non in populi Romani conspectum se committere debere, copiis inopem, gente fallacem? Nequidquam Cicero declarat et ad judices justis querelis Sardorum patere aditum; et antea damnatos esse quosdam cives inclytos, « nonnullis etiam laudantibus Sardis; » et se de vitiis gentis quosdam incolas excipere : nihilominus apparet, ex

Quintiliani sententia [1], defensorem Sardos contemnere ideoque omnino fidem iis velle detrahere. Attamen maxime cavendum est ne temere id defensionis genus damnemus: patronus enim ea argumenta, cujuscumque modi sint, quærit, quæ firma et efficacia apud judices expertus est. Ergo, quum in nobilibus causis testimoniorum dictorum vanitatem natione testium ter Cicero confirmarit, verisimile est, ut opinor, Romanos judices semper esse paratos exteris nationibus ostendere se « in sententiis ferendis civi parcere quam *alienigenæ* cedere maluisse [2]. »

Quomodo hanc partem terminaret transcenderetque ad tertium caput orator noster, quia et fragmenta et rhetorum indicia nobis plane desunt, divinare difficile est. At, ex iis quæ supersunt scimus a Triario Scaurum esse criminatum, quod, consulatus emendi causa, Sardiniam spoliasset, quodque tam magnificam domum haberet. Prius autem crimen neque testimoniis neque chirographis diluendum Cicero curabat. Quum enim judices jam videret sua sponte quo impellebat inclinantes atque propendentes, a persona rei anteactaque vita unum argumentum ducebat, affirmabatque eum, quem purpura regalis non commoverat, Sardorum mastruca non mutari potuisse. Inde summa cum fiducia in testes denuo invehebatur; quippe qui istorum judicio judicium populi Romani de familia nobili gravissime opponeret. Hic, quod quidem raro fit, quamvis in probationibus faciliore animo judicis patronus abuti possit occupato vel ira vel miseratione [3], noster brevissime affectus movebat non solum conditione Scauri sed cogitationis quoque commendatione. Sub oculos enim reum sordidum

[1] Lib. IX, c. I.
[2] Oratio pro M. Fonteio, c. XIV.
[3] Quintilianus, lib. IV, c. II.

proponebat, fidem judicum obtestantem, misericordiam implorantem, opes intuentem, licet ipse nunquam ullum injuste læsisset. Verum non in hac miseratione morabatur Cicero : etenim, propterea quod acerrimus longe sit omnium motus invidiæ [1], in ea comprimenda illi maximis viribus opus erat. Ergo, postquam paululum severum accusatorem irriserat, « per quem ne honorato quidem homini et principi liceret habere commodam et plenam dignitatis domum, » postquam paucis verbis gratam ædilitatis Scauri memoriam in animos revocarat, non solum, elevandæ invidiæ gratia [2], quæ asperius dicta erant ita eludebat : « Ego porro, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas asportavi ; » sed etiam, notissimo refutationis genere utens, profusi sumptus crimen in ipsum accusatorem transferebat. Hunc autem locum, neque immerito, Quintilianus mirabatur et probabat [3] : etenim modo urbane, quum adversarium rogaverat, non exspectabat responsum et statim subjiciebat, ita : « Domus tibi deerat. — At habebas, etc.; » modo autem eum vehementius invadebat, atque, effusione rei cum accusatoris effusione ex similitudine collata, magna ex spe et accusatorem et testes uno ictu deturbabat.

Levioribus criminibus ita perpurgatis refutatisque ut non solum accusatori jam fides detraheretur, sed etiam ut ad istum Sardosque invidia infamiaque redundaret, causam tractare frumentariam Cicero instituebat. Quum ea magnitudine injuriæ et re criminibus ceteris antecelleret, quum de vectigalibus a majoribus traditis, de vita victuque populi Romani ageretur, quum ii aratores,

[1] Cicero, de Oratore, lib. II, c. LII.
[2] Quintilianus, lib. V, c. XIII.
[3] Quintilianus, lib. IX, c. II.

qui plebi Romanæ laborabant illamque alebant, summas injurias essent perpessi, intelligere licet quam varie, quam copiose, quam apposite accusationi respondisset. At pars illa tota evanuit, nec scire possumus quam opima esset et fertilis Sardinia agrorum ubertate; nec de ea defensione ferre judicium, quam cum oratione in Verrem de re frumentaria æquare ac conferre utile esset; itaque de peroratione, quæ majore ex parte in manibus est, nunc dicere necesse est. Hic, dicit Quintilianus[1], si unquam, totos eloquentiæ fontes aperire licet; attamen, contra morem, Cicero, qui sæpius ea miseratione usus est, quæ judicem flecti non tantum cogeret sed motum quoque animi sui lacrymis confiteri, ad movendos fletus sua oratione non aggredi tentabat. Quod quidem non faciebat, quia nihil facilius quam lacrymæ inarescunt, sed quia rebus præsentibus judicum animum se vehementius ducturum esse non ignorabat. Ergo, quum M. Scaurum imprimis majorum merita commendarent, digito monstrabat et designabat templa ea illustrata, quæ quasi imaginem rerum a patribus rei gestarum omnibus repræsentabant. Verum quanta dignitas, quanta gravitas, quanta in illa orationis consummatione majestas, qua noster, nequaquam invisam securitatem præ se ferens, et velut bona conscientia impulsus, ad M. Scaurum patrem confugiebat invocabatque ut deum, ita ut non filio objecta crimina sed patris merita judices meminisse, nec Sardiniæ depeculatorem sed paterni nominis hæredem absolutum dimittere viderentur. Ceterum, (nam hæc narrat Asconius), non solum dicendo sed etiam faciendo M. Scauri sex patroni lacrymas moverant; nam « ad genua judi-

[1] Quintilianus, lib, VI, c, 1.

cum, quum sententiæ ferrentur, bifariam se diviserunt : » quæ quidem tragœdiæ istum plane liberaverunt. Verum, quamvis, tanto flumine ingenii, tanta vi dicendi ac copia servatus, ex isto judicio emerserit reus, Triarius accusator, qui de calumnia post hanc sententiam postulatus erat, eum tamen non omisit; contra autem, frigidius defendente eodem Cicerone, ambitus reum denuo in judicium vocavit; et M. Scaurus, qui in istis judiciis valde laboraverat, consulares fasces consequi non potuit.

Ea est, quantum potui, Scaurianæ illius orationis effigies, quam æquales efflagitabant[1], quamque Cicero ipse, sincerus librorum suorum existimator, ornatissimam esse[2] profitebatur. Inter orationes, quas pro reis repetundarum noster habuit, longe illa clarissima est, si cum M. Fonteii et L. Flacci defensionibus eamdem comparare volueris : nam in ea omnes dicendi laudes invenies, et subtilitatem in dicendo et judicii acumen et splendorem verborum, et, quæ plurimum valet, gravitatem. Quid igitur mirum si, vir consularis factus, a suasione, quanquam suadere[3] aut dissuadere gravissimæ illi videbatur esse personæ, ad hanc judiciis accomodatam eloquentiam, cui adolescentulus erat deditus, sese libentissime conferebat? Apud senatum enim quum ageret, vitanda erat ingenii ostentationis suspicio, dum concio omnem orationis vim capiebat, et varietatem gravitatemque, quas in se inque aliis imprimis[4] probabat ipse, desiderabat.

[1] Ep. ad Quintum Fratrem, lib. III, ep. I.
[2] Ep. ad Atticum, lib. IV, ep. XVI.
[3] Cicero, de Oratore, lib. II, c. LXXXI.
[4] Cicero, Orator., c. XXX.

INTERROGATIO DE ÆRE ALIENO MILONIS

Nobis restat ut de novissima illa oratione, cujus fragmenta tantummodo supersunt, quæque interrogatio de ære alieno Milonis inscribitur, quantum patitur res, disseramus. Scholia Bobiensia, a clarissimo doctissimoque viro Angelo Mai, ut supra diximus, anno 1814 in lucem edita, nos abunde edocet non solum quo tempore quaque de causa Cicero hanc orationem habuerit, sed etiam quamobrem ista inscriptione sit notata. In eumdem annum, paulo post M. Scauri defensionem, T. Annio Milone consulatum petente, petente autem præturam P. Clodio, Urbs tumultu, incendiis et cædibus complebatur. P. Clodius enim, quum pro certo haberet « mancam ac debilem præturam suam futuram[1], consule Milone, » in quem odio acerbissimo ardebat, non solum ad illius competitores Q. Metellum Scipionem et Hypsæum sese studiose contulerat, sed etiam, servis armatis iisque barbaris[2] hominibus ex Apennino deductis succinctus, comitia disturbabat, vi in septa

[1] Oratio pro Milone, c. IX.

[2] Oratio pro Milone; vide fragmentum, II, 2.

irruebat et denique lapides in consules jaciendos curabat[1]. At Milo contra, qui, Cicerone affirmante[2], solus cognoverat quemadmodum non modo vincere sed etiam inimicum infensissimum vincire oporteret, sua familia notissimisque gladiatoribus subnixus, vim vi repellebat, sæpius impetum Clodianorum frangebat; et, quasi ipsi « devota et constituta ista hostia esse » videretur, nonnunquam ad pugnam eum vocabat. Interea, quanquam Miloni bonorum studia apertissime favebant ac multitudinem urbanam maximis muneribus, in quæ tria effuderat patrimonia[3], deleniverat, propter assiduas candidatorum contentiones, comitia semper trahebantur, nec magistratus in insequentem annum creari fas erat : ergo ambo consules senatum, turbulentissimis istis concionibus commotum, convocare quamprimum statuerunt : in hoc ordine, quum ceteri sententiam rogati alii alio modo dissererent, P. Clodius, ubi ad eum ventum est, acerbe et contumeliose tum in Milonem tum in Ciceronem invectus est. Quum enim hoc ante omnia assequi vellet ut prætor esset non Milone consule, quo certius de candidatorum numero eum moveret, de ambitu, de vi in sententia sua eum postulavit, atque affirmavit eumdem longe minus quam haberet æris alieni esse professum, quia, ut vetus ait scholiasta, sestertium sexagies in ære alieno se habere, secundum veterem consuetudinem, Annius Milo denunciaverat. De ista oratione nescio an unum fragmentum servaverit scholiasta, si quidem narrat P. Clodium clamasse non eum oportere petere, « qui magno ære

[1] Oratio pro Milone, c. xv.
[2] Oratio de Haruspicum responsis, c. iv.
[3] Vide argumentum Asconii ad Milonianam et orat. pro Milone, c. xxxv.

alieno defeneratus prædæ videretur habiturus esse rem publicam; » verum, quanquam Meyerus ne eum quidem honoris causa nominavit, quum aliqua eloquentiæ laude apud æquales floruerit, verisimile est in tali re non intermortuam, odio exardescente, illum orationem habuisse. Hanc oppugnationem æquo animo ferre non poterat Cicero, non solum quia singulari amore et studio Annium Milonem, salutis suæ auctorem, prosequebatur, sed quia P. Clodio bellum inexpiabile jamdiu susceperat. Itaque, quamvis loco suo jam dixisset sententiam, postulavit ut sibi[1] liceret P. Clodium interrogare, id est, illius orationem, pro virili parte, redarguere : ac supervacaneum est dicere eum, etsi non prorsus eo tempore animo alieno[2] a Clodio Pompeius esset, maxima senatus parte plaudente, adversarium concidisse.

E fragmentis quæ supersunt orationem Ciceronis in duas partes esse divisam, arbitratu nostro, patet : in una tria Annio Miloni objecta crimina diluere tentabat, in altera autem P. Clodium vellicabat simul ac semetipsum notissimis laudibus efferebat. De priore parte duo loci omnino evanuerunt : etenim ne una quidem nobis in manibus vox est, qua divinare possimus quomodo noster orator Milonem neque foris esse neque ambitu accusari posse comprobaverit : attamen, quum in hoc loco, quo de vi disserit, non solum suum amicum purgat, sed etiam in inimicum suum crimen illud copiosissime avertit, conjicere licet eum suum orationis de Haruspicum responsis proæmium esse imitatum, in quo risit « hominem, qui pulvinaribus Bonæ Deæ stuprum intulerit, in concione de religionibus ne-

[1] Vide argumentum scholiastæ Bobiensis.
[2] Vide Asconii argumentum ad Milonianam.

glectis conqueri[1]. » Nam æque imprimis mirum esse videbatur quod iste, qui lapidibus, qui ferro cives fugabat atque omnia cæde incendiisque terrebat, de vi reum aliquem facere in animo haberet. Hanc autem conjecturam probat nostri oratoris argumentandi genus; non enim tam Milonem nihil præteritum excusandum habere confirmat quam Clodium affligit, memorando quoties iste vim adhibuisset, seu quum virum consularem exterminaret, seu quum domum singulari virtute civem armis compelleret, seu denique quum in omnes suos competitores æquabiliter irrueret. At quam caute, quam consulte, ordine rerum servato, hæc omnia enumeraverit considerandum est. Primum enim sui discessus, id est exsilii sui, mentionem faciebat[2], neque autem sine subtilitate et prudentia, « ne pro insolenti et jactantissimo, ut scholiasta Bobiensis vere animadvertit, haberetur; » deinde de insidiis et morte Pompeio paratis copiosissime loquebatur[3], ut, callidis laudibus captus allectusque, a Clodio dux ille deficeret, atque omnium senatorum odium accenderetur, quum in summum discrimen is esset adductus, « cujus in vita innitebatur salus civitatis; » tum, pro certo habens jam usu obduruisse omnium patientiam, mala, quæ aderant viris bonis et impendebant, ostentabat; et, ad quam quisque optimus erat designatus, denunciabat cædem[4]; denique, quia homines postrema semper meminere, oculis proponebat quomodo telis et lapidibus ambo consules e Campo expulissent Clodiani[5], quibus

[1] Oratio de Haruspicum responsis, c. VII.
[2] « Ejiciundus est ex urbe, » etc. — « Nec vero tum timendum, » etc.
[3] Vide orationem pro Milone, c. VII. — « Includendus intra parietes, » etc.
[4] « Eosdem ad cædem civium, » etc.
[5] « Lapidibus duo consules ceciderunt. »

furens ac minitabundus ipse Clodius præfuerat[1]. Hujus rei narratione priorem orationis suæ partem, ut probabile est, Cicero concludebat : qua ratione autem ad alteram transcenderet e scholia Bobiensia non dijudicare licet. Hoc tantum novimus, scilicet Clodium Ciceroni, qui non eos attingebat qui plus possent, humilitatem exsecrationemque exprobrasse, et Ciceronem, in respondendo, docuisse quam demissus, quam supplex iste vehemens naturaque ferox a Pompeio pacem veniamque petiisset. Ceterum, non eadem mensura qua acceperat, sed cumulatiore, adversario insectationes reddere noster solebat. Itaque, posteaquam summa cum acerbitate P. Clodii impudentiam et turpitudinem denotasset[2], amice ac benevole eum de sermonibus monebat[3], quibus homines egentes maledico dente patronum suum carpere incipiebant; et, correctione utens, quæ quidem non ingrata sæpe etiam in continenti oratione perjucunda est, denuo, ut Cn. Pompeium novo reditu in gratiam devinctum quasi solveret[4], illi P. Clodium insidiatum esse memorabat. Quum ita, paria paribus respondendo, acriter et vehementer infensissimum inimicum suum lacerasset, istius audaciam contundere tentabat, salse et dicaciter irridendo. Etenim modestius ei suadebat ut tabulas[5], quibus Ciceroniana crimina diligenter perscripserat, quasque in vestibulo habebat, quasi non inanes essent, statim refigeret; atque una simulabat, quia plurimus circa simulationem risus est[6], P. Clodium in Milonis personam neque de

[1] « Qui multis inspectantibus, » etc.
[2] « Non pudet? sed quid pudeat, » etc.
[3] « Sic enim homines egentes, » etc.
[4] « Male dicere autem, imo vero, » etc.
[5] « Ut quas haberet in vestibulo, » etc.
[6] Quintilianus, lib. VI, c. III.

religionibus violatis neque de incestis stupris[1], per oblivionem, esse questum, quum, pecudibus etiam scientibus[2], iste, non autem T. Annius, his sceleribus nefandis sese inquinasset. Verum in jaciendo ridiculo, quod quidem raro fit, moderationem quamdam adhibuisse Cicero videtur, quia insignis improbitas et scelere juncta, sicut ipse edocuit[3], non agitata ridetur; ergo majore vi quam ridiculi adversarium vulnerabat, denuncians quocumque venerat et reorum crimen esse et judicum. At, propterea quod, apud senatum interrogando, ei, si non præcidere, imminuere saltem spem præturæ adipiscendæ imprimis concuperet, metum incutiebat audientibus de luctuosissimis istis legibus prænunciando quæ jam in domo P. Clodii incidebantur; ac minis eumdem insequi non dubitabat, affirmando suam istum præturam nequidquam semel distulisse, quum, quidquid auctoritate et dicendi facultate posset, id omne in illius rogationum dissuasionem ipse se esse delaturum jam polliceretur : quæ quidem apparent ex his fragmentis : « Tuamque præturam, etc. — Nec suffragia dabis, etc. — Nec vero illam nefariam, etc. » P. Clodio ita perculso afflictoque, Cicero reliquum esse sibi credebat ut cum sua vita vitam istius conferret, quo certius ei ad omnes afferret contemptionem. Nemo autem non novit quam mirifice hunc locum in suis orationibus amplificare Cicero esset solitus; itaque, etsi tantummodo aliquot versus servaverit scholiasta Bobiensis[4], quibus et Clodii pueritiæ et pro-

[1] « Etenim tria, ut opinor, hæc in Milonis personam, » etc.

[2] Ep. ad Atticum, lib. I, ep. XVI.

[3] De Oratore, lib. II, c. 58.

[4] « Quis non meminerit, » etc. — « Iterum a piratis, » etc. — « Nisi vero lineamentis, » etc.

brosæ captivitati et absolutioni infami labem et maculam noster adspergebat, quibusque istum non hominem, quanquam formam hominum habebat, sed belluam esse quamdam clamabat, cujus cornua exciderant impleta, ex iis tamen orationibus[1], quæ sunt in manibus integræ, in his explanandis Ciceronem fuisse pleniorem, uberiorem vehementioremque affirmare possumus. Quod ad exsilium[2], quod discessum suum Cicero semper nominavit, ad reditumque attinet, quomodo vis aut copia dicendi aut quidam animi dolor illi in hoc loco deesse potuisset, quum, in civitatem restitutus, nullam pateretur a se haberi orationem, quin in tali tempore consilium suum, suam prudentiam suamque imprimis patriæ caritatem eximiis laudibus ornaret, quumque non ignoraret Cæsaris et Pompeii potentiam Clodium suam esse, neque id injuria, dictitare. Illam orationem de more suo conclusisse Cicero non videtur, si quidem vir doctissimus noster V. Leclerc hunc versum, scilicet : « Qui armis cessissem vel tuis urbanis, vel, ut opinio tum erat, alienis, » novissimum esse edocuerit; verum haud scio an hanc orationem perpetuam, sicut in libro edicto in Clodium et Curionem, altercatio quædam excepisset, de qua nihil excerpere scholiasta voluerit : etenim, quanquam simplex in suadendo et gravis esse debet oratio, nunquam in sententia dicenda perorationis præcepta Cicero oblitus est.

Antequam hanc enarrationem conficiam, illud mihi, ut arbitror, notandum est, scilicet Quintilianum, qui Ciceronem dicit omnibus exemplis sufficere, neque de ista interrogatione neque de oratione in Clodium et Cu-

[1] Vide imprimis orationem de Haruspicum responsis.
[2] De hoc fragmento disserimus : « Non enim viderunt, quos, » etc.

rionem seu argumenta seu sententiarum ac verborum lumina usquam desumpsisse. Hoc autem eo magis est desiderandum, quo de istius modi operibus, cujus pauciora exstant fragmenta, difficilius est existimare. Ergo de iis cautius judicium faciam necesse est, ne ea melioribus efferam laudibus, quam quis id vere potuisse fieri putat; nisi Quintilianus (neque ista mihi esse videtur subabsurda opinio) duas orationes illas pro altercationibus habuerit, in quibus, ut scimus, opus est imprimis ingenio veloci atque acri, quia, quod ex arte non[1] venit sed natura, maxime valet acumen. Atqui affirmare possum non ea laude interrogationem de ære alieno Milonis caruisse, quum non solum refutare quæ e contrario dicta erant, sed etiam contemnere, elevare et cum summa urbanitate ridere Cicero sciverit.

[1] Quintilianus, lib. VI, c. IV.

CONCLUSIO

Opus inceptum, quantum pro viribus meis fieri potuit, perfeci; nunc quæ inde consequantur breviter exponam necesse est. Primum omnium ponatur Ciceronem, quanquam Quintilianus affirmat illius sententias et conciones non minus clarum[1], quam est in accusationibus et defensionibus, eloquentiæ lumen ostendere, in eo dicendi genere quo utilitas aut dignitas aut salus reipublicæ agitur, in secundis, non in primis consistere. Quod si, (hoc autem in loco tantum de fragmentis orationum deperditarum asseverare in animo est), quoties adversarium inimicumve reprehendere, lacessere, de statu dejicere studet ac gestit, omni modo exardescit[2], si suo arbitrio orationem fingit flectitque, si, ut propria ipsius verba usurpem, impetus mirificos facit[3], pugnas et strages edit, raro, quum a propriis

[1] Lib. III, c. VIII.

[2] Vide orationem in toga candida, orationem in P. Clodium et C. Curionem et interrogationem de ære alieno Milonis.

[3] Ep. ad Atticum, lib. I, ep. XVI.

personis ad rem in controversia positam orationem traducit, eamdem vim et copiam, easdem dicendi faces adhibet atque admovet. Ita in Metellina oratione, quum apud senatum contra concionem Q. Metelli sese purgabat et consulatum defendebat, quum pro sua gloria, cujus præter ceteros avidus atque appetens fuit[1], prælibatur, nusquam probare ac demonstrare tentabat necesse esse aliquando ut, quum civitas in summo discrimine versatur, vanas judiciorum formulas et mutabiles temporibus ipsis leges ii omittant negligantque, qui cavere debent ne quid respublica detrimenti[2] capiat; verum aut cum summis laudibus quæ prospera tunc evenere delegabat senatui[3], aut, ut verisimile est, iis miserationibus[4], in quibus excellebat, utebatur, aut, ut plane apparet, ne verborum concursus asper esset, verba componebat et coagmentabat, quasi ipsius defensio in ea posita esset, hunc an illum circuitum adhiberet, hanc an illam artificiosam conclusionem in lucem ederet. Ita in oratione pro rege Alexandrino non in deliberationibus publicis adhibendus auctor ac princeps, sed patronus ac defensor videbatur. Non equidem ignoro gravissimum quoddam argumentum[5], quod non ex rhetorum officina sed ex rerum civilium tractatione repetebatur, istum invenisse et sumpsisse; sed non id tactum tractatumque habebat, et ad minutam angustamque concertationem, ut crimina regi objecta dilueret[6], statim redibat, vel ad quemdam locum commu-

[1] Oratio pro Archia, c. xi.
[2] Confer Ciceronem in Partit. Orat., c. xxx.
[3] Vide Fragmenta orationis Metellinæ.
[4] Orator, c. xxxvii.
[5] « Non patiar hanc exaudiri vocem, » etc.
[6] « Quum ille rex sit interfectus, » etc.

nem [1], in quo amplificatio potest plurimum, libentius confugiebat.

At, si in eloquentia, quam hodie politicam æquales nostri nominant, fragmenta cum summa diligentia tractando, unum vel abfuisse, vel defuisse Ciceroni persuasum habeo, in foro, in judiciis, in causis civilibus, omnibus iis, quæ in quoque laudantur [2], ille eminentissimus est. Quod enim genus in Cornelii, in Scauri defensionibus non reperitur? Modo subtiliter, modo graviter, modo temperate dicit. Hic res involutas subtiliter definiendo [3] explicat; illic ornandi copiam et varietatem persequitur [4]; hic breviter, callide et dilucide narrat [5]; illic orationis gravitatem et majestatem præ se fert [6]. Ad hoc, quum non veritatem sed reum quemdam defendit, quumque non apud unum judicem agit, sed concursu totius populi facto [7], qui dicendi ardore incensus veluti ex contagione judices incendit, falso, si necesse sit, pro vero utitur, et se tenebras [8] offendere judicibus non gloriari dubitat : inde argutiæ dicendi ac versutiæ; inde digressiones, ut a re judicum animi avertantur ; inde mendaciuncula ; inde eæ miserationes, ut non innocentia sed tragædiis reus liberetur. Ante omnia judicem flectere, torquere atque etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus et fortis, capere debet orator : itaque omnes eos motus,

[1] « Difficilis ratio belli gerendi, etc. — Confer orationem pro lege Manilia.

[2] Quintilianus, lib. XII, c. x.

[3] Oratio pro Tullio.

[4] Vide supra in enarratione pro Cornelio orationis quemadmodum Pompeii laudem Quintilianus æstimet.

[5] Oratio pro Scauro, *passim*.

[6] Orationes pro Cornelio et pro Scauro.

[7] Tacitus, de Oratoribus dialogus. c. xxxix.

[8] Quintilianus, lib. II, c. xvii.

quos adhibere vult judici, in semetipso impressos atque inustos Cicero habet; nec solum docet, notissima narrandi argumentandique ratione utendo, ac delectat, verborum numerum et lumina adhibendo; sed etiam, quomodo postulat causa, ita judices impellit, ut « aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut salvum reum velint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut lætentur, aut mæreant, aut misereantur, » aut ad tales animi perturbationes adducantur. Præterea quid in vita sicut in oratione difficillimum sit, id est quid deceat, imprimis videt. Non enim, ut ipse dicit, de stillicidiis acturus, amplissimis verbis et locis utitur communibus, de majestate autem populi Romani summisse et subtiliter loquitur; verum diligentissime considerat quo verborum genere ac sententiarum omnis honos et auctoritas, tempus aut auditor omnis tractandus sit. Denique, ne maligne eum in hac parte laudare videar, quum in judiciis versatur, universarum rerum scientia instructus subnixusque, omnia dicendi mysteria aperit, superiores et æquales suos cedentes fascesque summitentes videt, et sine rivali jure ac merito in foro regnat et dominatur.

Restat unum mihi notandum atque animadvertendum. In libro suo, qui Orator inscribitur [1], Cicero declarat neminem oratorem tam multa ne in Græco quidem otio scripsisse, quam multa sunt ipsius : hæc autem si eum verbis non arrogantibus profiteri credamus, quum orationum, quas vel integras vel ex fragmentis vel ex titulo notas habemus, numerum exsequi possimus, quumque de omni rerum optimarum cognitione eumdem scripsisse et disseruisse videamus, attamen

[1] C. xxx.

hanc copiam hancque varietatem, quam probabat quaque gloriabatur, pro certo habeo illi vim animi et ingenii leviter mutasse atque adulterasse. Etenim, quia ab adolescentia obrutus est ambitione et foro, quia, ut novitatem clientelis fulciret et sustineret, patrocinium suum recusare nequaquam potuit, quia, prætor renuntiatus, primum omnium auctoritatem rostrorum attingere ausus est [1], propter quotidianam dicendi exercitationem, quanquam ad virtutem in eo major indoles eminebat, pro jure atque injuria eodem ardore animi dicere, non causæ sed rei in judicium vocati conditionem et gratiam desiderare, ac sæpe in defensionibus æquo animo inconstans et a se ipso dissentiens videri insuevit : inde secutus est, quum in rempublicam est ingressus, et munerum publicorum non unus tenor, et mortales, ut ita dicam, amicitiæ atque inimicitiæ, et mutatio consilii ac multiplex defectio. Satis scio nostra ætate hanc voluntatis varietatem in republica raro reprehendi atque improbari ; at, ut supra dixi, ex eodem fonte aliud paululo deterius Ciceroni fluxit : quippe qui, propterea quod in foro et judiciis diutius dixit, in angustiorem locum, quasi inscius, suum ingenium concluserit. Quod si, ut ipse fatetur [2], in ipsius orationibus omnis laus oratoris fuerit, non perfectio quidem sed conatus atque adumbratio, non tamen difficillimum est, quum et genus causæ, et reum cujus de re disceptatur, et petitorem et adversarium et judicem noverimus, divinare quod genus argumentandi, quam dicendi varietatem, quem dolorem animi ille adhibuerit. Quia enim penitus perspexit quomodo judices impellendi sint,

[1] Ciceronis oratio pro lege Manilia, c. I.
[2] Orator, c. XXIX.

ut perturbatione mentis, non veritate aut judicii formula aut legibus judicent, iisdem argutiis eodemque animi motu, quo sæpe vicit, utitur : haud varie fidem testibus detrahit, haud varie adversarios suos inimico dente carpit et lacessit, haut varie in miserationibus vi quadam incenditur atque inflammatur. Hanc autem vel infirmitatem in dicendo vel negligentiam Ciceronis æquales non semel animadverterant atque irriserant. Nam, ut ex oratione pro Plancio videre est, et ad eam competitorum contentionem [1], quam haud ægre in hujuscemodi causis faciebat, urbane illum vocabant adversarii [2]; et de dicto, quod non erat perditurus [3], benigne prænunciabant; et digressiones, quibus orationem suam exornare solitus erat, deridebant [4]; et illum lege sua exsilio ambitum sanxisse affirmabant, ut miserabiles epilogos effundere posset; et clamabant obsoletas [5] jam esse illius preces; et tandem declarabant illum, quæ de reo dicebat, mentiri et temporis causa [6] fingere. Nimirum istas reprehensiones ac vituperationes vel laudare vel probare nullo modo mihi in animo est; verum, quia nimium quod est offendit vehementius quam id quod videtur parum [7], redundantia Ciceronis et paulo sui similiora jampridem deprehensa esse plane ostendere volui. Attamen, quanquam in Cicerone speciem eloquentiæ non requiro, fragmentis deperditarum orationum, in quibus mens illius spirare videtur, non sine diligentia compositis, credo me neque

1 Vide orationem pro Murena, c. IX.
2 Oratio pro Plancio, c. II et III.
3 *Id.*, c. XXXIV.
4 *Id.*, c. XXXIV.
5 *Id.*, c. XXXI.
6 *Id.*, c. XXX.
7 Orator, c. LIII.

exagitatorem neque insectatorem tanti oratoris existimari posse: memini enim de summis viris cum maxima religione semper esse pronunciandum; non me fugit illum habere, si non ereptam, at certe communicatam cum Græcis dicendi gloriam; et animo meo mandatum illud Quintiliani teneo, scilicet eum profecisse, cui Cicero [1] valde placuerit.

[1] Quintilianus, lib. XI, c. 1.

FINIS

VIDI AC PERLEGI:

Lugduni; die quarta decima mensis maii 1875,

FACULTATIS LITTERARUM IN ACADEMIA LUGDUNENSI DECANUS,

G. A. HEINRICH.

TYPIS MANDETUR:

LUGDUNENSIS ACADEMIÆ RECTOR,

DARESTE.

FRAGMENTA
ORATIONUM DEPERDITARUM

I. — ORATIO PRO M. TULLIO II.

ARGUMENTUM HISTORICUM

Quanquam, propter obscuritatem atque humilitatem, M. Tullii et P. Fabii nomina in ignoratione hominum versantur, attamen orationis pro M. Tullio fragmenta sincero rerum romanarum scriptori maxime prosunt. Etenim, iis exploratis, dijudicare licet quis esset Italiæ status, quibus domesticis periculis cives quotidie circumvenirentur, quamque incerta ac lubrica esset eorum possessio qui bona patèrna tenebant, ea tempestate qua, Sylla dictaturam gerente vel abdicante, ibat Roma præceps in unius dominationem. P. Fabius, quem Asiaticum patrem familias ridicule Cicero appellat, nihil aliud est nisi unus ex iis mercenariis militibus, quibus Italiam vastandam diripiendamque Sylla attribuerat, quique, proscriptorum spoliis ornati, prædando ac vim afferendo per oppida civium romanorum insolentius sese efferebant. Quomodo autem adversus vicinitatem sese gerat Fabius paululum attendamus. In eodem agro Thurino centuriam M. Tullii vicini animadvertit, quæ ad fundum paulo ante emptum satis convenire videtur : centuriam statim

inhiat ac proscribit; in villa centuriæ M. Tullii servi manent: servos, vel nocte vel luce appropinquante, homines Fabii adoriuntur atque occidunt, villamque postea disturbant, quasi, provincia devicta ac pacata, omni belli jure uterentur. Tantam licentiam tantamque iniquitatem neque providerant majores neque prohibuerant; itaque, ut otiosis viris securitatem afferrent, summæ reipublicæ causa, interdicta, legibus silentibus, interea proposuerunt prætores, unusque ex iis M. Lucullus primus judicium ita dedit de vi coactis armatisque hominibus, ut, si quis familiam suam armatam vim inferre cædesque facere passus esset, id dolo malo fecisse existimaretur, neque de jure et injuria, quum armis quam jure agere maluisset, posset disputare. Per hoc interdictum ad prætorem Marcellum in judicium venit P. Fabius, ac tota est controversia de verbis ipsius interdicti, quod quidem, ut iterum dicam, nobis abunde probat hoc tempore homines Sullanos in fortunas uniuscujusque impetum facere sempere esse paratos. Ergo, non solum, Apri sententiam improbantes, non ea quæ a Cicerone dicta sunt de formula atque exceptione moleste legere debemus; sed in fragmenta orationis pro M. Tullio incumbamus oportet, quo facilius intelligamus quamobrem pedetentim ac gradatim municipales viri reipublicæ formam reliquerint et prodiderint. Hujus enim facinoris, quod vulgo Cæsaris parricidium vocatur, facilis excusatio est, si diligenter examinare voluerimus quanta mala quantasque calamitates experrecta nobilitas, Sylla imperante, tum plebi rusticæ, tum omnibus Italicis, attulerit.

ORATIO PRO M. TULLIO II,

EX RECENSIONE IO. GEORGII BAITERI CUM BEIERI SUPPLEMENTIS, QUÆ LITTERIS INCLINATIS EXCUDUNTUR, AC PERPAUCIS EMENDATIONIBUS

Habita est oratio, ut opinor, Coss. D. Junio Bruto, Mam. Æmilio Lepido Liviano, anno 77 ante J. C. — anno Ciceronis 30.

1. A*ntea* [1] *sic hanc causam agere* stat*ueram*, *recipera*tores, *ut infitia*turos adversarios arbitrarer tantam cædem et tam atrocem ad familiam suam pertinere. Itaque animo soluto a cura et a cogitatione veneram, quod intelligebam facile id me testibus planum facere posse. Nunc vero, posteaquam non modo confessus est vir primarius, L. Quin*tius*, *sed ipse P. Fabius non dubitavit hoc*, *quod arguitur*, *confiteri*, *longe alia ratione ad agendam causam venio atque initio veneram*. *Tum enim de eo la*borabam, ut, quod arguebam, id factum esse ostenderem; nunc in eo consumenda est oratio, ut ne adversarii, quod infitiari nullo modo potuerunt, quum maxime cuperent, id quum confessi sunt, meliore loco esse videantur.

2. Itaque tum vestrum difficilius judicium, mea facilis defensio fore videbatur. Ego enim omnia in tes*tibus ponebam antea*, *nunc in confessione adversarii : cujus in vi audaciæ*, *in judicio impudentiæ obsistere non nostri ingenii*, *vestri auxilii est*. *Nam* quid est facilius quam de eo qui confitetur judicare? Mihi autem difficile est satis copiose de eo dicere, quod nec atrocius verbis demonstrari potest quam re ipsa est, neque apertius oratione mea fieri quam ipsorum confessione factum est.

3. Quum in hac re, quam commemoravi, mihi mutanda ratio defensionis *est*, *tum obliviscendum parumper in P. Fabio*

[1] Primus hæc fragmenta §§ 1-4 : *Antea sic hanc causam — consului pri*..... ex Palimpsesto Taurinensi Amedæus Peyron edidit.

illius lenitatis meæ, qua usus priore actione animum a lædendo revocaram ipse et reflexeram, ut non minus diligenter illius existimationem, quam rem M. Tullii viderer defendere. Nunc, quoniam Quintius ad causam pertinere putavit res ita multas, falsas præsertim et inique confictas, proferre de vita et moribus et existimatione M. Tullii, multis de causis mihi Fabius debebit ignoscere, si minus ejus famæ parcere videbor quam antea consului.

4. Pri*ore* [1] *actione omnes aculeos orationis meæ reconditos habui : sed quoniam ipse Quintius in actione illa pri*ore putavit ad officium suum pertinere adversario nulla in re parcere : quid me oportet Tullium pro Tullio facere, homine conjuncto mecum non minus animo quam nomine? Ac mihi magis illud laborandum videtur, reciperatores, ut, quod antea nihil in istum dixi, probare possim, quam in eo reprehendar quod hoc tempore respondeo.

5. Verum et tum id feci quod oportuit, et nunc faciam quod necesse est. Nam, quum esset de re pecuniaria controversia, quod damnum datum M. Tullio diceremus, alienum mea natura videbatur quidquam de existimatione P. Fabii dicere, non quia res postulare non videretur. Quid ergo est? Tametsi postulat causa, tamen, nisi plane cogit ingratiis, ad maledicendum non soleo descendere. Nunc, quum coactus dicam, si quid forte dicam, tamen id ipsum verecunde modiceque faciam, tantum ut, quoniam sibi me non esse inimicum potuit priore actione Fabius judicare, nunc M. Tullio fidelem certumque amicum esse cognoscat.

6. Unum hoc abs te, L. Quinti, pervelim impetrare (quod tametsi eo volo quia mihi utile est, tamen abs te idcirco quia æquum est postulo), ut ita tibi multum temporis ad dicendum sumas, ut his aliquid ad judicandum relinquas. Namque antea non defensionis tuæ modus, sed nox tibi finem dicendi fecit. Nunc, si tibi placere potest, ne idem facias id abs te postulo.

[1] Primus hæc fragmenta §§ 4-22 *...ore putavit — quum amici in comm...* ex Palimpsesto Ambrosiano Angelo Mai edidit.

Neque hoc idcirco postulo quod te aliquid censeam præterire oportere, aut non quam ornatissime et copiosissime dicere, verum ut semel unaquaque de re dicas : quod si facies, non vereor ne dies eximatur.

7. Judicium vestrum est, reciperatores, QUANTÆ PECUNIÆ PARET DOLO MALO FAMILIÆ P. FABII VI HOMNIBUS ARMATIS COACTISVE DAMNUM DATUM ESSE M. TULLIO. Ejus rei taxationem nos fecimus; æstimatio vestra est; judicium datum est in quadruplum.

8. Quum omnes leges omniaque judicia, quæ paulo graviora atque asperiora videntur esse, ex improborum iniquitate et injuria nata sunt, tum hoc judicium paucis hisce annis propter hominum malam consuetudinem nimiamque licentiam constitutum est. Nam, quum multæ familiæ dicerentur in agris longinquis et pascuis armatæ esse cædesque facere, quumque ea consuetudo non solum ad res privatorum sed ad summam rem publicam pertinere videretur, M. Lucullus, qui summa æquitate et sapientia jus dixit, primus hoc judicium composuit et id spectavit, ut homines ita familias suas continerent, ut non modo armati damnum nemini darent, verum etiam lacessiti jure se potius quam armis defenderent.

9. Et, quum sciret de damno legem esse Aquiliam, tamen hoc ita existimavit, apud majores nostros, quum res et cupiditates minores essent, et familiæ non magnæ magno metu continerentur, ut perraro fieret ut homo occideretur, idque nefarium ac singulare facinus putaretur, nihil opus fuisse judicio de vi coactis armatisque hominibus (quod enim usu non veniebat, de eo si quis legem aut judicium constitueret, non tam prohibere videretur quam admonere).

10. His temporibus, quum ex bello diuturno atque domestico res in eam consuetudinem venisset ut homines minore religione armis uterentur, necesse putavit esse et in universam familiam judicium dare, quod a familia factum diceretur, et reciperatores dare ut quamprimum res judicaretur, et pœnam graviorem constituere, ut metu comprimeretur audacia, et illam latebram tollere DAMNUM INJURIA.

11. quod in aliis causis debet valere et valet lege Aquilia; id ex hujusmodi damno, quod vi per servos armatos datum esset, *manifesto deprehensum apparere judicavit, atque ideo de* INJURIA *non addidit, ne, qui haberent controversiam,*

12. ipsi statuerent quo tempore possent suo jure arma capere, manum cogere, homines occidere. Quum judicium ita daret, ut hoc solum in judicium veniret, videreturne vi hominibus coactis armatisve damnum dolo malo familiæ datum, neque illud adderet INJURIA, putavit se audaciam improborum sustulisse, quum spem defensionis nullam reliquisset.

13. Quoniam quod judicium et quo consilio constitutum sit cognostis, nunc rem ipsam, ut gesta sit, dum breviter vobis demonstro, attendite.

14. Fundum habet in agro Thurino M. Tullius paternum, reciperatores, quem se habere usque eo non moleste tulit, donec vicinum ejusmodi nactus est, qui agri fines armis proferre mallet quam jure defendere. Nam P. Fabius nuper emit agrum de C. Claudio senatore, cui fundo erat adfinis M. Tullius, sane magno, dimidio fere pluris incultum exustis villis omnibus, quam quanti integrum atque ornatissimum carissimis pretiis ipse Claudius *emerat. Agri cupidius empti pretium sero diligentius attendenti quum nimis magnum videretur, facile est existimatu stomachi quantum fecerit suspicio venditorem se*

15. clam circumscripsisse isti a consulari Macedonia et Asia. Etiam illud addam quod ad rem pertinet. Imperatore mortuo, pecuniam nescio modo quæsitam dum vult in prædio ponere, non posuit sed abjecit. Nihil adhuc m*agnopere miror, quod, stultitia sua impeditus*, *quoquo modo posset, se expedire voluit. Illud vero mirari satis non queo, illud indignor, quod suam stultiti*am calamitate vicinorum corrigit, et quod stomachum suum damno Tullii explere conatus est.

16. Est in eo agro centuria, quæ Populiana nominatur, reciperatores, quæ semper M. Tullii fuit, quam etiam pater possederat *sine ulla unquam controversia. Iste demum vicinus novus improbæ spei eo securior quod M. Tullius abesset,*

cœpit inhiare, quum ei centuria Populiana videretur satis commode posita esse et ad fundum ejus convenire. Ac primum, quod eum negotii totius et emptionis suæ pœnitebat, fundum proscripsit; eum autem emptum habebat cum socio Cn. Acerronio, viro optimo. *Is Romæ versabatur, quum subito nuntii M. Tullio veniunt a villa P. Fabium fundi illius finitimi majorem, quam ipse nuper cum Cn. Acerronio emisset,*

17. modum proscripsisse. Hominem appellat. Iste sane adroganter quod commodum fuit respondit. Nequedum fines auctor demonstraverat. Mittit ad procuratorem litteras et ad villicum Tullius *caverent*[1] *finiumque demonstrationi interessent admonet. Hi Fabium adeunt, et, quum fines demonstrarentur, se advocaret verecunde petunt; at ille se* facturum negavit; illis absentibus fines Acerronio demonstravit, neque tamen hanc centuriam Populianam tradidit. Acerronius, quomodo potuit, se de tota re ex*cusavit, quum primum potuit; Fabio autem statim renunciavit (maluit enim rei quam existimationis facere jacturam) atque ex societate cum ho-*

18. mine ejusmodi semustilatus effugit. Adducit iste interea in saltum homines electos maximis animis et viribus, et iis arma, quæ cuique habilia atque apta essent, comparat: prorsus ut quivis intelligeret non eos ad rem rusticam, verum ad cædem ac pugnam comparari.

19. Brevi illo tempore Q. Catii Æmiliani, hominis honesti, quem vos nostis, duo homines occiderunt, multa alia fecerunt, passim vagabantur armati, non obscure, sed ut plane intelligere viderentur ad quam rem parati essent; agros, vias denique infestas habebant. Venit in Thurinum interea Tullius. Deinde iste paterfamilias Asiaticus, beatus novus arator et idem pecuarius, quum ambularet in agro, animadvertit in hac ipsa centuria Populiana ædificium non ita magnum servumque M. Tullii Philinum.

20. « Quid vobis, inquit, istic negotii in meo est? » Servus respondit pudenter, at non stulte, dominum esse ad villam,

[1] Ita felicius explevit Huschkius.

posse eum cum eo disceptare, si quid vellet. Rogat Fabius Acerronium (nam ibi tum erat) ut secum simul veniat ad Tullium. Venitur. Ad villam erat Tullius. Appellat Fabius ut aut ipse Tullium deduceret, aut ab eo deduceretur. Dicit deducturum se Tullius, vadimonium Fabio Romam promissurum. Manet in ea conditione Fabius. Mature disceditur.

21. Proxima nocte, jam fere quum lux adpropinquaret, ad illud ædificium, de quo antea dixi, quod erat in centuria Populiana, servi P. Fabii frequentes armatique veniunt; introitum ipsi sibi vi manuque patefaciunt; homines magni pretii servos M. Tullii nec opinantes adoriuntur; quod facile factu fuit; neque tam multos neque repugnantes multi armati paratique occidunt, tantumque odii crudelitatisque habuerunt, ut eos omnes gurgulionibus insectis relinquerent, ne, si quem semivivum ac spirantem etiam reliquissent, minor iis honor haberetur; præterea tectum villamque disturbant.

22. Hanc rem tam atrocem, tam indignam, tam repentinam nuntiat M. Tullio Philinus, quem antea nominavi, qui graviter saucius e cæde effugerat. Tullius statim dimittit ad amicos, quorum ea vicinitate tum illa bona atque honesta copia præsto fuit. Omnibus acerba res et misera videbatur. Quum amici in comm [1]. . . . .

23. . . . .

24. turbarunt [2]. Audite, quæso, in eas res quas commemoro, hominum honestorum testimonium. Hæc, quæ mei testes dicunt, fatetur adversarius eos vere dicere; quæ mei testes non dicunt, quia non viderunt nec sciunt, ea dicit ipse adversarius. Nostri testes dicunt occisos homines; cruorem in locis pluribus, dejectum aedificium se vidisse dicunt; nihil amplius. Quid Fabius? Horum nihil negat. Quid ergo addit amplius? Suam familiam fecisse dicit.

25. Quo modo? Vi, hominibus armatis. Quo animo? ut id fieret quod factum est. Quid est id? Ut homines M. Tullii occi-

[1] In his litteris desinit ultimum folium Ambrosianum.

[2] Primus hæc fragmenta §§ 24-56 : *turbarunt - potest ut eum* .. ex Palimpsesto Taurinensi Amedæus Peyron edidit.

derentur, Quod ergo eo animo factum est ut homines unum in locum convenirent, ut arma caperent, ut certo consilio certum in locum proficiscerentur, ut idoneum tempus eligerent, ut cædem facerent, id si voluerunt et cogitarunt et perfecerunt, potestis eam voluntatem, id consilium, id factum a dolo malo sejungere?

26. At istuc totum DOLO MALO additur in hoc judicio ejus causa qui agit, non illius quicum agitur. Id ut intelligatis, reciperatores, quæso ut diligenter attendatis: profecto quin ita sit non dubitabitis.

27. Si ita judicium daretur ut id concluderetur quod a familia factum esset, si quæ familia ipsa in cæde interesse noluisset et homines aut servos aut liberos coegisset aut conduxisset, totum hoc judicium et prætoris severitas dissolveretur. Nemo enim potest hæc judicare, qua in re familia non interfuisset, in ea re ipsam familiam vi, armatis hominibus damnum dedisse. Ergo, id quia poterat fieri et facile poterat, idcirco non satis habitum est quæri quid familia ipsa fecisset, verum etiam illud quid familiæ dolo malo factum esset.

28. Nam, quum facit ipsa familia vim armatis coactisve hominibus et damnum cuipiam dat, id dolo malo fieri necesse est. Quum autem rationem init ut id fiat, familia ipsa non facit, fit autem dolo malo ejus. Ergo, addito dolo malo, actoris et petitoris fit causa copiosior. Utrum enim ostendere potest, sive eam ipsam familiam sibi damnum dedisse, sive consilio et opera ejus familiæ factum esse, vincat necesse est.

29. Videtis prætores per hos annos intercedere hoc *interdicto* [1] *velut inter* me et M. Claudium : UNDE DOLO MALO TUO, M. TULLI, M. CLAUDIUS AUT FAMILIA AUT PROCURATOR EJUS VI DETRUSUS EST, cetera ex formula. Si, quum [2] ita interdictum sit et sponsio facta, ego me ad judicem si defendam, vi me dejecisse confitear, dolo malo negem, ecquis me audiat?

30. Non opinor quidem : quia, si vi dejeci M. Claudium, dolo malo dejeci, in vi enim dolus malus inest; et Claudio

[1] Ita feliciter supplevit Huschkius.
[2] Ita melius Kellerus.

utrumvis satis est planum facere, vel se a me ipso vi dejectum esse, vel me consilium iniisse ut vi dejiceretur. Plus igitur *datur* Claudio *quum ita* interdicitur unde dolo malo meo vi dejectus sit, quam si daretur unde a me vi dejectus esset. Nam in hoc posteriore, nisi ipse egomet dejecissem, vincerem sponsionem : in illo priore, ubi dolus malus additur, sive consilium inissem, sive ipse dejecissem, necesse erat de dolo malo meo vi dejectum judicari.

31. Hoc persimile atque adeo plane idem est in hoc judicio, reciperatores. Quæro enim abs te : si ita judicium datum esset, QUANTÆ PECUNIÆ PARET A FAMILIA P. FABII VI HOMINIBUS ARMATIS DAMNUM M. TULLIO DATUM, quid haberes quod diceres? Nihil, opinor. Fateris enim omnia, et familiam P. Fabii fecisse, et vi hominibus armatis fecisse. Quod additum est DOLO MALO, id te adjuvare putas, in quo opprimitur et excluditur omnis tua defensio.

32. Nam si additum id non esset ac tibi libitum esset ita defendere tuam familiam non fecisse, vinceres, si id probare potuisses. Nunc, sive illa defensione uti voluisses, sive hac qua uteris, condemneris necesse est; nisi putamus *eum* [1] *in judicium* venire qui consilium inierit, illum qui fecerit non venire, quum consilium sine facto intelligi possit, factum sine consilio non possit. An quod factum ejus modi est, ut sine occulto consilio, sine nocte, sine vi, sine damno alterius, sine armis, sine cæde, sine maleficio fieri non potuerit, id sine dolo malo factum judicabitur?

33. An qua in re prætor illi improbam defensionem tolli voluit, in ea re mihi difficiliorem actionem factam putabitis? Hic mihi isti singulari ingenio videntur esse, qui et id, quod mihi contra illos datum est, ipsi adripiunt et scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur. Nam in dolo malo volunt delitescere, in quo non modo, quum omnia ipsi fecerunt quæ fatentur, verum etiam si per alios id fecissent, hærerent ac tenerentur.

[1] Ita melius Amedæus Peyron.

34. Ego non in una re sola, quod mihi satis est, neque ni universa re solum, quod mihi satis est, sed singillatim in omnibus dolum malum exstare dico. Consilium capiunt ut ad servos M. Tullii veniant : dolo malo faciunt. Arma capiunt : dolo malo faciunt. Tempus ad insidiandum atque celandum idoneum eligunt : dolo malo faciunt. Vi in tectum irruunt : in ipsa vi dolus est. Occidunt homines, tectum diruunt : nec homo occidi nec consulto alteri damnum dari sine dolo malo potest. Ergo, si omnes partes sunt ejusmodi ut in singulis dolus molus hæreat, universam rem et totum facinus sine dolo malo factum judicabitis?

35. Quid ad hæc Quintius? Sane nihil certum neque unum, in quo non modo possit verum putet se posse consistere. Primum enim illud injecit nihil posse dolo malo familiæ fieri. Hoc loco non solum fecit ut defenderet Fabium, sed ut omnino hujuscemodi judicia dissolveret. Nam si venit id in judicium de familia, quod omnino familia nulla potest committere, nullum est judicium; absolvantur omnes de simili causa necesse est.

36. Hoc solum, bona mehercule *fide* [1], si hoc solum esset, tamen vos, tales viri, nolle deberetis maximam rem, conjunctam cum summa re publica fortunisque privatorum, severissimum judicium maximaque ratione compositum per vos videri esse dissolutum. Sed non id solum agitur *in hoc judicio, reciperatores, ut M. Tullius per interdictum suum jus teneat atque injuriam a P. Fabii familia factam persequatur; verum* hoc judicium [2] sic exspectatur, ut non unæ rei statui, sed omnibus constitui putetur. . . . .

. . . .

Dicam [3] vim factam a P. Fabii familia? adversarii non negant. Damnum datum esse M. Tullio? concedis : vici unam rem. Vim hominibus armatis factam? Non negas; vici alteram. Dolo malo factum negas : de hoc judicium est. . . . . .

1 Ita melius Huschkius.
2 Priscianus, VI, p. 678, ed. Putsch.
3 Victorinus ad rhetoric. Ciceronis, I, 57.

Causa[1] *Tullii tota continetur prætoris formula, re gesta, adversarii confessione : de his quum satis dictum sit, reliqua in vestra fide ac religione, non in defensione nostra posita esse*

37. Ego intelligo; et tamen dicendum est ad ea quæ dixit Quintius, non quo ad rem pertineat, sed ne quid, quia a me prætermissum sit, pro concesso putetur.

38. Dicis oportere quæri homines M. Tullii injuria occisi essent nec-ne. De quo hoc primum quæro, venerit ea res in hoc judicium nec-ne. Si non venit, quid attinet aut nos dicere aut nos quærere? Si autem venit, quid attinuit te tam multis verbis a prætore postulare ut adderet in judicium INJURIA; et, quia non impetrasses, tribunos plebis appellare et hic in judicio queri prætoris iniquitatem, quod de injuria non addiderit?

39. Hæc quum prætorem postulabas, quum tribunos appellabas, *nempe ita* dicebas potestatem tibi fieri oportere, ut, si posses, reciperatoribus persuaderes non esse injuria M. Tullio damnum datum. Quod ergo ideo in judicium addi voluisti, ut de eo tibi apud reciperatores dicere liceret, eo non addito, nihilo minus tamen ita dicis, quasi id ipsum, a quo depulsus es, impetraris? At quibus verbis in decernendo Metellus usus est ceterique quos appellasti? Nonne hæc omnium fuit oratio, quod vi hominibus armatis coactisve familia fecisse diceretur, id tametsi nullo jure fieri potuerit, tamen se nihil addituros?

40. Et recte, reciperatores. Nam, quum, perfugio nullo constituto, tamen hæc scelera servi audacissime faciant, domini impudentissime confiteantur, quid censetis fore, si prætor judicet ejusmodi cædes fieri jure posse? An quicquam interest utrum magistratus peccato defensionem constituant, an peccandi potestatem licentiamque permittant?

41. Etenim, reciperatores, non damno commoventur magistratus ut in hæc verba judicium dent. Nam, *si* id esset, nec reciperatores potius darent quam judicem, nec in universam familiam, sed in eum *qui*cum nominatim ageretur, nec in qua-

[1] Ita melius, ut opinor, supplevit Kellerus.

druplum sed in duplum, et ad DAMNUM adderetur INJURIA. Neque enim is, qui hoc judicium dedit, de ceteris damnis ab lege Aquilia recedit, in quibus nihil agitur nisi damnum, qua de re prætor animum debet advertere.

42. In hoc judicio videtis agi de vi, videtis agi de hominibus armatis, videtis ædificiorum expugnationes, agri vastationes, hominum trucidationes, incendia, rapinas, sanguinem in judicium venire. Et miramini satis habuisse eos, qui hoc judicium dederunt, id quæri, utrum hæc tam acerba, tam indigna, tam atrocia facta essent nec-ne; non utrum jure facta an injuria? Non ergo prætores a lege Aquilia recesserunt, quæ de damno est, sed de vi et armis severum judicium constituerunt; nec jus et injuriam quæri nusquam putarunt oportere, sed eos, qui armis quam jure agere maluissent, de jure et injuria disputare noluerunt.

43. Neque ideo de injuria non addiderunt, quod in aliis rebus non adderent, sed ne ipsi judicarent posse homines servos jure arma capere et manum cogere; neque quod putarent, si additum esset, posse hoc talibus viris persuaderi non injuria factum, sed ne quod tamen scutum dare in judicio viderentur iis, quos propter hæc arma in judicium vocavissent.

44. Fuit illud interdictum apud majores nostros de vi, quod hodie quoque est : UNDE TU AUT FAMILIA AUT PROCURATOR TUUS ILLUM AUT FAMILIAM ILLIUS IN HOC ANNO VI DEJECISTI. Deinde additur illius jam hoc causa, quicum agitur, QUUM ILLE POSSIDERET, et hoc amplius : QUOD NEC VI NEC CLAM NEC PRECARIO POSSIDERET.

45. Multa dantur ei, qui vi alterum detrusisse dicitur, quorum si unum quodlibet probare judici potuerit, etiam si confessus erit se vi dejecisse, vincat necesse est, vel non possedisse eum qui dejectus sit, vel vi possedisse vel clam vel precario. Ei, qui de vi confessus esset, tot defensiones tamen ad causam obtinendam majores reliquerunt.

46. Age, illud alterum interdictum consideremus, quod item nunc est constitutum propter eamdem iniquitatem temporum nimiamque hominum *licentiam*. . . . .

. . . .

47. boni debent dicere. Atque ille legem mihi de XII tabulis recitavit, quæ permittit ut furem noctu liceat occidere, et luce, si se telo defendat; et legem antiquam de legibus sacratis, quæ jubeat impune occidi eum qui tribunum plebis pulsaverit. Nihil, ut opinor, præterea de legibus.

48. Qua in re hoc primum quæro, quid ad hoc judicium recitari istas leges pertinuerit? Num quem tribunum plebis servi M. Tullii pulsaverunt? Non opinor. Num furatum domum P. Fabii noctu venerunt? Ne id quidem. Num luce furatum venerunt et se telo defenderunt? Dici non potest. Ergo istis legibus, quas recitasti, certe non potuit istius familia servos M. Tullii occidere.

49. Non, inquit, ad eam rem recitavi, sed ut hoc intelligeres non visum esse majoribus nostris tam indignum istuc nescio quid, quam tu putas, hominem occidi. Primum ista lex sacrata est, quam rogarunt armati, ut inermes sine periculo possent esse. Quare non injuria, quo magistratu munitæ leges sunt, ejus magistratus corpus legibus vallatum esse voluerunt.

50. Furem, hoc est, prædonem et latronem, luce occidi vetant XII tabulæ : quum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, nisi se telo defendit, inquit, etiam si cum telo venerit, nisi utetur telo eo ac repugnabit, non occides. Quod si repugnat, ENDOPLORATO, hoc est, conclamato, ut aliqui audiant et conveniant. Quid ad hanc clementiam addi potest, qui ne hoc quidem permiserint, ut domi suæ caput suum sine testibus et arbitris ferro defendere liceret?

51. Quis est cui magis ignosci conveniat, quoniam me ad XII tabulas revocas, quam si quis quem imprudens occiderit? Nemo, opinor. Hæc enim tacita lex est humanitatis, ut ab homine consilii, non fortunæ pœna repetatur. Tamen hujusce rei veniam majores non dederant. Nam lex est in XII tabulis : SI TELUM MANU FUGIT MAGIS[1] *QUAM JECIT*. . . . .

. . . .

[1] Ciceronis Topica, c. XVII.

52. Si quis furem [1] occiderit, injuria occiderit. Quam ob rem? Quia jus constitutum nullum est. Quid? si se telo defenderit? Non injuria. Quid ita? Quia constitutum est. . . . . [2]

53. tamen verum factum esset, tamen in eo ipso loco, qui tuus esset, non modo servos M. Tullii occidere jure non potuisti, verum etiam, si tectum hoc insciente aut per vim demolitus esses, quod hic in tuo ædificasset et suum esse defenderet, id vi aut clam factum judicaretur. Tu ipse jam statue quam verum sit, quum paucas tegulas dejicere impune familia tua non potuerit, maximam cædem sine fraude facere potuisse. Ego ipse, tecto illo disturbato, si hodie postulem quod vi aut clam factum sit, tu aut per arbitrum restituas aut sponsione condemneris necesse est. Nunc hoc probabis viris talibus, quum ædificium tuo jure disturbare non potueris, quod esset, quemadmodum tu vis, in tuo, homines, qui in eo ædificio fuerint, te tuo jure potuisse occidere?

54. At servus meus non comparet, qui visus est cum tuis; at casa mea est incensa a tuis. Quid ad hæc respondeam? Ostendi falsa esse; verum tamen confitebor. Quid postea? Hoc sequitur ut familiam M. Tullii concidi oportuerit? Vix mehercule, ut corium peti; vix, ut gravius expostulari : verum, ut esses durissimus, agi quidem usitato jure et quotidiana actione potuit. Quid opus fuit vi? quid armatis hominibus? quid cæde? quid sanguine?

55. At enim oppugnatum me fortasse venissent. Hæc est illorum in causa perdita extrema non oratio neque defensio, sed conjectura et quasi divinatio. Illi oppugnatum venturi erant: quem? Fabium. Quo consilio? ut occiderent. Quam ob causam? Quid ut proficerent? Qui comperisti? Et, ut rem perspicuam quam paucissimis verbis agam, dubitari hoc potest, reciperatores, utri oppugnasse videantur, qui ad villam venerunt an qui in villa manserunt?

[1] Julius Rufinianus, de Fig. sent., c. VIII.
[2] Huschkii supplementum non mihi satis probabile videtur.

56. Qui occisi sunt an ii ex quorum numero saucius factus est nemo? Qui cur facerent causa non fuit, an ii qui fecisse se confitentur? Verum, ut hoc tibi credam metuisse te ne oppugnarere, quis hoc statuit unquam, aut cui concedi, sine summo omnium periculo, potest ut eum jure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat ne ipse posterius occideretur?

Cetera desiderantur

Dicam [1] vim factam a P. Fabii familia : adversarii non negant. Damnum datum esse M. Tullio concedis : vici unam rem. Vim hominibus armatis factam non negas : vici alteram. Dolo malo factum negas : de hoc judicium est. (Victorinus, lib. I, p. 63).

Macrobius *de diff. et soc. græci latinique verbi* c. VI : *Cicero pro Tullio* explicavit *ait.* (Idem attulit Diomedes *de orat. et partibus orationis*, lib. I, p. 369, Putschii ed.).

Verba ex C. Julio Victore (c. VI) *excerpta ad orationem pro Tullio recte referenda sunt; at ea ipsius esse Ciceronis verba nequaquam, ut Kellerus, sic affirmare possum.*

II. — ORATIO PRO L. VARENO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Orationis pro Vareno fragmenta non res occultas in lucem historicis protulere. L. Varenus enim, quæstione inter sicarios in judicium vocatus, nos tantum edocet, ut Ciceronis ipsius verba [2] usurpem, in isto domestico bello L. Sullæ felicitate confecto, subactum reipsa oppressumque populum esse romanum, quum ceteris civibus non solum omnimodo fortunas

[1] Recte veretur, ut opinor, Patricius ne hoc fragmentum idem sit, verbis tantum mutatis, a Victorino et Marciano recitatum. Vide supra § 36.

[2] Pro Sexto Roscio Amerino, c. XLVII.

vexare sed etiam eripere vitam nobilitatis fautores diutius potuissent.

Habita est oratio Coss. Cn. Octavio, C. Scribonio Curione, anno 76 ante J.-C. — Anno Ciceronis 31.

1. Amici deficiunt, cognati deserunt. (Severiani, *Syntomat. Rhetor.* c. de Affectibus, p. 345, ed. Capperon.)

2. In inimicissima civitate urgent, instant, insequuntur : studio, multitudine, pecunia, perjurio pugnant. (Idem, ibidem.)

3. C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate. (Priscianus, lib. VII, c. XIV).

4. In præfectura Fulginate. (Idem, ibid.)

5. Quum item per agros et loca sola faceret cum Pompuleno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt : deinde Pompulenum occisum esse, illico Varenum vinctum asservatum, dum hic ostenderet quid de eo fieri vellet. (Quintilianus, lib. V, c. XIII.)

6. Lege de sicariis commisit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo et Cnæum vulnerando et Salarium item occidendo cadit. (Idem, lib. VII, c. I.)

7. Tum C. Varenus, is qui a familia Ancharianа occisus est. Hoc, quæso, judices, diligenter attendite. (Idem, lib. IV, c. I, et lib. IX, c. II.)

8. L. ille Septimius diceret (etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis). Erucius hic noster Antoniaster est. (Priscianus, lib. III, c. VII. Quintilianus. lib. VIII, c. III.)

9. Ea cædes si potissimum crimini datur, detur ei cuja interfuit, non ei cuja nihil interfuit. (Priscianus, lib. XII, c. VI.)

10. Optio vobis datur utrum velitis casu illo itinere Varenum usum esse, an hujus persuasu et inductu. (Quintilianus, lib. V, c. X).

11. Deum fidem. (Priscianus, lib. VII, c. VI.)

III. — ORATIO

QUUM QUÆSTOR LILYBEO DECEDERET

ARGUMENTUM HISTORICUM

Hanc orationem hodie in manibus habere non prorsus esset inutile, propterea quod Ciceronis, jam ambitione occupati, ad honores adipiscendos vivendi cursùm inde tenere atque intelligere possemus. Quippe qui, quum non Siculis, sed, ut ita dicam, apud Siculos populo romano verba faceret, quumque ædilitati suæ jam prospiceret, plane et aperte, haud aliter quam in oratione pro Cornelio, debuisset profiteri quas suscipiendas sibi partes in republica proposuisset; verum ex uno versu neque ulla divinare neque affirmare licet.

Habita est oratio Coss. L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta, anno 74 ante J.-C. — Anno Ciceronis 33.

Quod non detrectare militiam sed defendere provinciam judicata est. (Arusianus Messus, p. 226. Lind.)

IV. — ORATIO PRO P. OPPIO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Orationem pro Oppio amissam valde desideramus, quia ex ea sine dubio disceremus quænam essent in provinciis et itinera legionum et hiberna. Iste enim quæstor Oppius, qui cibarium militibus detrahere arguebatur, utrum pecuniam ex ærario deprromptam Romæ in quæstum reliquerat, atque hanc ob causam infinitam prædandi licentiam in provincia dabat militibus; an ex cibario lucrum faciebat, quæstus autem socium ne haberet

proconsulem suum recusabat? De hoc disserere non solum supervacaneum sed insulsum esset, ut opinor. At ex orationis pro Oppio enarratione unum affirmare nobis licet, scilicet senatores equitesque romanos neque severe neque religiose judicasse, sed plerumque aut gratiæ aut suis commodis inserviisse. Cicero enim in oratione sua judices equites hortabatur, non ut causam fidei atque integritatis susciperent, sed ut ab illo actionis genere equestrem ordinem servarent incolumen, ea præsertim tempestate, qua L. Aurelius Cotta equites romanos ad res judicandas iterum quærendos esse erat arbitratus.

Habita est oratio Coss. Q. Hortensio, Q. Cecil. Metello Cretico, anno 69 ante J.-C. — Anno Ciceronis 38.

1. Utrum quum Cottam appetisset, an quum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est? (Quintilianus, lib. V, c. x.)

2. Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit? (Idem, ibidem.)

3. At enim verisimile non est tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc verisimile est tantum scelus Oppium esse conatum. (Idem, lib. V, c. xiii.)

4. Questusque mecum est. (Arusianus, p. 257. Lind.)

5. Etenim multum posse ad salutem alterius honori multis; parum potuisse ad exitium probro nemini unquam fuit. (Ammianus Marcellinus, lib. XXX, c. viii.)

6. O amorem mirum, o benevolentiam singularem! (Qnintilianus, lib. IX, c. ii.)

V. — ORATIO PRO C. MANILIO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Orationis pro C. Manilio unum quod superest fragmentum ad res romanas explicandas nullum habet momentum. Ceterum,

ut opinor, necesse erat reum omnibus criminibus esse pressum atque hominum opinione jam damnatum, quum neque tribunatus memoria neque eloquentia Ciceronis neque Pompeii gratia aut potentia eum a pœna vindicare potuerit.

Habita est oratio Coss. M'. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo, anno 66 ante J.-C. — Anno Ciceronis 41.

Hoc ego non solum confiteor verum etiam profiteor. (Nonius. V. confiteri, c. v, 48.)

VI. — ORATIO PRO M. FUNDANIO

Fragmenta orationis pro Fundanio cum Verrinis actionibus, cum orationibus pro Flacco ac pro Fonteio, cumque Scaurianæ orationis fragmentis conspirant et consentiunt, ut plane notum habeamus qua avaritia romani magistratus provincias quotannis spoliarent ac depecularentur, quaque crudelitate patroni Romæ peregrinos irriderent, qui, tantas direptiones ægre passi, in judicium prætorem aut proconsulem adducere non dubitabant, quasi apud exteras gentes devictas non homines essent, sed forma hominum induti, in quos omnimodo animadvertendi Romanis data erat potestas.

Habita est oratio Coss. M'. Æmilio, Lepido L. Volcatio, Tullo, anno 66 ante J.-C. — Anno Ciceronis 41.

1. Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest. (Priscianus, lib. VII, c. II.)

2. Esset-ne id quod Meno nuntiasset. (Idem, lib. VI, c. VI.)

3. Arcades se proselenos esse asserunt. (Servius, ad Georg. lib. II, v. 342.)

4. Commissura. (Idem, ad Æneid., lib. IX, v. 675.)

5. Puncta. (Acro, in Horat. Art. Poet., v. 342.)

6. Descripsisti-ne ejus necessarium, nostrum competitorem?

istum ipsum, cujus nunc studio et gratia tota accusatio ista munita est. (Boethius, De definitionibus, p. 658, ed. Bas.)

7. Quasi vero ego de facie tua, catamite, dixerim, † vel alias potuisti contumeliosius facere, si tibi hoc Parmeno alloqui ac non ipse Parmeno nuntiasset. (Jul. Rufinianus de Fig., ed. Capperon., p. 30.)

VII. — ORATIONES PRO C. CORNELIO I ET II

ARGUMENTUM HISTORICUM

Ex omnibus orationibus, quarum fragmenta tantum supersunt, duæ orationes pro Cornelio, sine controversia, indiciis ac documentis, quæ sunt historicis plurimi æstimanda, maxime abundant. Non enim solum ex iis discere possumus quænam essent ea tempestate judicia [1], quomodo leges ferrentur; non solum artes novas comperimus, quibus patricii equitesque romani certatim provincias exhauriebant; sed etiam Ciceronem, ut ipsius verba usurpem, non crepundiis sed corpore omni cognoscimus : quippe qui totum se patefaciat ac partes indicet, quas in republica amplectebatur et tutari conabatur.

Quum in aliqua civitate judices sententiæ integre afferendæ non libertatem servant, quum eos reus vel corrumpere pecunia vel vi et minis terrere potest; quum multitudo ex egentibus conductisque congregata, quibusdam facinorosis ducibus, populi legitimam advocationem ferro ac lapidibus discutere audet, affirmare licet istam rerum publicarum formam, quæ tantas libidines frangere haudquaquam valet, non jam convenire, si consuetudini et disciplinæ antiquæ superstes civitas esse voluerit : fragmenta autem Cornelianæ orationis sat superque

[1] Aliam deinde legem Cornelius.. tulit, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent. (Asconius.)

probant compositam quondam ac constitutam Romæ rempublicam, tunc temporis, propter has causas, in eo esse ut decideret et pessumdaretur.

Cornelius, tribunus plebis, magistratu peracto, in judicium adducitur; et, die dicta, tribunali hominum armatorum manus circumfunditur, inque accusatores ita impetum facit, ut in scalis latere ac per tecta ædium ex urbe aufugere ii cogantur. Neque in ea re sola vis adhiberi solet. Quum apud populum in tribus convocatum rogationem aliquis tribunus plebis promulgare in animo habet, sodaliciorum imperita vel scelesta multitudine subnixus, quæ multo mane concionatur vel potius in publico pernoctat, collegæ, haud aliter quam Cornelius, intercessionem irridet; vel, Auli Gabinii exemplum imitatus, collegæ intercedenti magistratum abrogare parat, quo facilius ab omnibus rogatio accipiatur. Quod si quis consul ne leges antiquæ perrumpantur impedire voluerit, excipitur ipse clamoribus et lapidibus pellitur ejiciturque.

Dum Romæ factiones atque arma rempublicam ita dilacerant, cujuscumque ordinis feneratores diripiunt provincias et sanguinem earum exhauriunt, Nemo hodie nescit Pompeii improbissima fenera fenerationemque Bruti immanem; at, etiamsi hæc nota non haberemus, quum didicerimus Cornelium vetare tentasse ne quis exterarum gentium legatis pecuniam mutuam daret, pro certo habebimus illum, hac immensa expilatione permotum, non omnibus civibus fenerandarum provinciarum licentiam esse concessam voluisse : satis enim erat proconsules ac legatos ex pacatis sociisque regionibus prædas quotidie agere. Ergo, quis miretur, quum tot et tantas libidines tantamque avaritiam perferrent provinciales, eos unius dominationem magistratuum annuorum avaritiæ non solum anteposuisse sed etiam votis expoposcisse?

Quod ad Ciceronem attinet, ex iisdem Cornelianæ orationis fragmentis apparet nostrum oratorem, ubi, primus prætor factus, consulatum concupiscere incipit, rusticæ plebis ordinisque equestris se propugnatorem palam profiteri. Quum enim plebem hortatur ut Manilianam offensionem ulciscatur, quumque

antiquæ plebis virtutem ac secessiones in memoriam populi romani revocat verbisque extollit, quid aliud quam ad se allicit illos ex oppidis cives, qui postea, de consularis in exsilium expulsi salute suffragium laturi, municipiis clausis Romam convenient? Nec suam animi voluntatem in republica gubernanda patefacere contentus est : suam integritatem suumque pecuniæ contemptum laudibus ipse effert, atque affirmat se non divitiis permoveri, ut labore et vigiliis amicis deserviat præstoque sit omnibus. Inter autem cives, qui in petitione apud omnes ordines gratiosi erant, multi erant Fundanii ac Gallii, qui, in suis periculis, ad viri eloquentis patrocinium libentissime confugiebant. Non igitur mirum, si paulo post, anno suo et prima petitione, plebis rusticæ fautor idemque inclytissimus patronus, cujus industria nemini non patebat, ab universi populi romani studio consulatum obtinuerit [1].

Habita est oratio Coss. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato, anno 65 ante J.-C. — anno Ciceronis 42 —

ORATIO PRO C. CORNELIO I

Fragmenta novo ordine disponuntur.

1. Ut ab Jove optimo maximo ceterisque diis deabusque omnibus opem et auxilium petam. (Priscianus, lib. VII, c. III).

2. *Versu a primo circiter CLXI.* Postulatur me prætore primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet Cominius quid agatur; videlicet homines fœneos in medium ad tentandum periculum projectos. (Asconius [2].)

3. Quid? Metellus summa nobilitate ac virtute, quum bis jurasset, semel privatim a patre, iterum publice a lege coactus,

[1] De hac oratione argumentum Asconii legendum est.
[2] De singulis Cornelianarum fragmentis consulendus est Asconius Baiteri.

destitit accusatione. An vi, an veritate? In quo suspicionem omnem tollit C. Curionis virtus ac dignitas, et, Q. Metelli adolescentia, ad summam laudem omnibus rebus ornata. (Ex editione E. Lemaire).

4. Legem, inquit, de libertinorum suffragiis Cornelius C. Manilio dedit. Quid est hoc, DEDIT? An tulit? an rogavit? an hortatus est? At tulisse ridiculum est, quasi legem aliquam aut ad scribendum difficilem aut ad excogitandum reconditam: quæ lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset. (Ex editione Orellii).

5. In quo quum multa reprehensa sint, tum in primis celeritas actionis. (Ex ed. Or.)

6. Petivit tamen a me pater maxima contestatione, ut causam Manilii defenderem. (Ex ed, Or.)

7. *Versu a primo* DCCCCL. *Dicit de eodem Manilii tribunatu.* Nam quum is tribunus plebis duas leges tulisset in eo magistratu, unam perniciosam, alteram egregiam: quod summam rempublicam læsit, id ab ipso tribuno abjectum est; bonum autem in summa republica manet (Ex ed. Lem.)

8. *Dicit de disturbato judicio Maniliano.* Aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum judiciorum perniciosissimum, temporibus suis accomodatissimum, meis alienissimum rationibus, cupierunt. (Ex ed. Or.)

9. Majestas est in imperio atque in omni populi romani dignitate. (Quintilianus, lib. VII, c. III.)

10. *Versu circiter* CXI. Possum dicere hominem summa prudentia clarum C. Cottam de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse. (Ex ed. Or.)

11. *Sequitur.* Possum et ejusdem Cottæ legem de judiciis privatis, anno post quam lata sit, a fratre ejus *abrogatam.* (Ex ed. Or.).

12. *Statim.* Legem Liciniam et Muciam de civibus regundis, quam duo consules omnium quos vidimus sapientissimi tulissent, video constare inter omnes non modo inutilem sed perniciosam reipublicæ fuisse. (Ex ed. Lem.).

13. Quattuor omnino genera sunt, judices, in quibus per senatum, more majorum, statuatur aliquid de legibus. Unum est ejusmodi, placere legem abrogari : ut Q. Cæcilio, M. Junio consulibus, quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. Alterum, quæ lex lata esse dicatur, ea non videri populum teneri : ut L. Marcio, Sex Julio consulibus de legibus Liviis. Tertium est de legum derogationibus. Quo de genere persæpe senatus consulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, cui derogaretur. (Ex ed. Or.)

14. P. Africanus ille superior dicitur non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso sæpe accusatus esse, quod, quum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari. (Ex ed. Or.)

15. Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasque venisset (Prisc., lib. VII, c. III).

16. *Circa medium. Quo loco numerat, quum lex feratur, quot loca intercessionis sunt, † jubeat dicere :*

Est utique jus vetandi, quum ea feratur, quamdiu non perfertur; quamdiu qui suffragii ferundi causa conveniunt, huc et illuc transferuntur; dum privati dicunt; dum tabellæ diribentur; dum sitella defertur; dum æquantur sortes; dum sortitio fit; et si qua sunt hujus generis alia. (Ex ed. Lem.)

17. *Paullo post.* Unum tamen, quod hoc ipso tribuno plebis factum est, prætermittendum non videtur. Neque enim majus est legere codicem, quum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre ; nec gravius incipere ferre quam perferre ; nec vehementius ostendere se laturum invito collega, quam ipsi collegæ magistratum abrogare ; nec criminosius tribus ad legem accipiendam quam ad collegam reddendum privatum intro vocare : quæ vir fortis hujus collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia : neque, quum salutem populo romano atque omnibus gentibus finem diuturnæ [cupiditatis], turpitudinis et servitutis afferret, passus est plus unius collegæ sui quam universæ civitatis vocem valere et voluntatem. (Ex ed. Or.).

18. At enim de corrigenda lege retulerunt. (Ex ed. Or.)

19. Cœptum igitur per eos, qui agi volebant, desitum est per hunc qui decessit. (Prisc., lib. X, c. VII.)

20. Circumitis rostris, ejicerentur lapidibus homines. (Idem, lib. VIII, c. XV.)

21. Iidem, nisi hæc ipsa lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decrevissent id, quod palam jam isti defensores judiciorum pugnaverunt, senatui non placere id judicium de Sullæ bonis fieri. Quam ego causam longe aliter prætor in concione defendi, quum id dicerem, quod idem judices postea statuerunt, judicium æquiore tempore fieri oportere. (Ex ed. Or.)

22. *Statim.* Antea vero quam multarum rerum judicia sublata sint, et quia scitis, prætereo, et ne quem in judicium oratio mea revocare videatur. (Ex ed. Or.)

23. *Paulo post.* Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honestissimum virum, communi et quotidiano jure privasset. Non denique homo illorum et vita et prudentia longe dissimilis, sed etiam nimis in gratificando jure liber, L. Sisenna, bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni, adolescenti summa nobilitate, eximia virtute prædito, dedisset. (Ex ed. Lem.)

24. Quare, quum ambitum populus romanus videret, et quum a tribunis plebis doceretur, nisi pœna accessisset in divisores, exstin*gui n*ullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat; illam quæ ex senatus consulto ferebatur repudiabat; idque jure, ut docti sumus duorum consulum designatorum calamitate. (Ex ed. Lem. et Or.)

25. *Et eadem de re paulo post.* Ut spectaculum illud [duorum designatorum consulum calamitat.] re et tempore salubre ac necessarium, genere et exemplo miserum ac funestum, videremus. (Ex ed. Or.)

26. Quid ego nunc tibi argumentis respondeam, posse fieri ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem? Res nota est, vulgare nomen esse Philerotis; Cornelios vero ita multos, ut jam etiam collegium constitutum sit. (Ex ed. Lem.)

27. At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam,

C. Corneli, consulem mittere coegisti, qui rem publicam salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent. (Ex ed Or.)

28. Repugnare — dicit Cicero — ut divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere. (Marcian. Capella, de Rhetorica, p. 421. Ed. Capperon.)

29. Num alicui gratificabatur aut homini aut ordini? (Priscianus, lib. VIII, c. xv.)

30. Ante vestros † annos propter illius tribuni plebis temeritatem posse adduci, ut omnino... ne illius potestate abalienemur, qui restituerunt eam potestatem, alterum nihil unum posse contra multos, alterum longe abesse (Ex ed. Or.).

31. Tanta igitur in illis virtus fuit, ut, anno XVI, post reges exactos, propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati consederant, æternæ memoriæ causa consecrarent. Itaque auspicato postero anno [X] tribuni plebi comitiis curiatis creati sunt. (Ex ed. Or.)

32. Tum interposita fide per tres legatos, amplissimos viros, Romam armati reverterunt : in Aventino consederunt : inde armati in Capitolium venerunt : decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt. (Ex ed. Or).

33. Etiam hæc recentiora prætereo : ponam principium justissimæ libertatis, Cassiam; qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit : alteram Cassiam, quæ populi judicia firmavit. (Ex ed. Or.)

Dicit de Nobilibus.

34. Qui non modo cum Sulla, verum etiam, illo mortuo, semper hoc per se summis opibus retinendum putaverunt ; inimicissimi C. Cottæ fuerunt, quod is consul paulum tribunis plebi non potestatis, sed dignitatis addidit. (Ex ed. Or.)

35. Quamdiu quidem hoc animo erga vos illa plebs erit, quo

se ostendit esse, quum legem Aureliam, quum Rosciam non modo accepit, sed etiam efflagitavit. (Ex ed. Or.)

36. Memoria teneo, quum primum senatores cum equitibus romanis lege Plotia judicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompeium, causam lege Varia de majestate dixisse. (Ex ed. Or.)

---

37. Nihil senatui detraxisse Cornelium. (Arusianus, p. 224, Lind.)

38. Codicem attigit. (Quintilianus, lib. V, c. XIII.)

39. Quæ intermissa complures annos. (Priscianus, lib. VII, c. XVII).

40. Refertum *(ærarium)* tribuniciis legibus, exhaustum a quibus sit ipsi sciunt. (Aquila, c. XVI).

41. Qui eloquentia ceteris antecellit. (Priscianus, lib. X, c. VI.)

42. Sed ad Urbem dierum fuerit iter complurium. (Arusianus, p. 215, Lind.)

43. Quid enim? Mihi certamen est cum accusatore aut contentio? (Idem, p. 218, Lind.)

44. Demi medius fidius de his ornamentis aliquantum malim. (Idem, p. 226, Lind.)

45. Das enim mihi facultatem eos, qui tum adfuerint Cornelio, nominandi. (Idem, p. 213, Lind.).

46. Facite, ut facitis, qui ad causam adestis. (Idem, ibidem.)

47. Cur nunc redeant, si tunc gratiæ concesserint. (Idem, p. 220, Lind.)

48. Quid, quod ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti. (Idem, p. 226, Lind.)

49. Ejusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut, si me altero expedissem, tenerer altero. (Idem, p. 228, Lind.).

50. Aperuit fores scalarum. (Acro ad Hor. serm. l. II, 67.)

51. Correpsit in scalas. (Schol. vet. in Juvenal, 7, 118.)

52. Latet in scalis tenebrosis Cominius. (Fortunatian. A. Rh. l. III, p. 71, Pith.)

53. Item pro Cornelio : majestatis ipsa sunt : legite ut legebatis ; hinc intelligetis nulla tenuissima suspicione describi aut significari Cornelium. (Boëth., De Defin.; p. 659. Edit. Bas.)

54. Objecta est paulo liberalior vita. (Quintilianus, lib. V, c. XIII.)

55. Cominius autem, tametsi ignoscite mihi, judices. (Idem, lib. IX, c. II.)

[*Ex. ed. Baiteri.*]

VIII. — ORATIO PRO C. CORNELIO II

1. Pugnem aperte contra nobilissimorum hominum voluntates? Studia, consilia cogitationesque eorum aperiam? (Aquila, c. X, p. 151, et Marc. Capella, lib. IV, p. 171.)

2. O callidos homines! O rem excogitatam! O ingenia metuenda! — Diximus. Testes dare volumus. Quem, quæso, nostrum fefellit ita vos esse facturos? (Cic. Orator., c. LXVII. — Quintilian., lib. IX, c. IV.)

3. Num in eo, qui sint hi testes, hæsitatis? Ego vobis edam. Duo reliqui sunt de consularibus, inimici tribuniciæ potestatis. Pauci præterea assentatores eorum atque asseclæ subsequuntur. (Asconius.)

4. Sed si familiariter ex Q. Catulo, sapientissimo viro atque humanissimo, velim quærere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Cornelii, an, non dicam P. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii : nominem, quem isti seditiosum existimant, nominabo; sed avunculi tui, Q. Catule, clarissimi patriæque amantissimi viri ; quid mihi tandem responsurum putatis? (Idem.)

5. Quid, avunculus tuus, clarissimus vir, clarissimo patre,

avo, majoribus, credo, silentio, favente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo romano dedit et potentissimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem? (Idem).

Sequitur.

6. Quid? idem Domitius M. Silanum, consularem hominem, quemadmodum tribunus plebis vexavit. (Idem.)

7. Hæc est controversia ejusmodi, ut mihi... tribunus plebis Cn. Domitius, Catulo... M. Terpolius contemptissimum nomen ejectum esse ex iis, qui tribuni plebis fuerunt. (Idem).

8. Nam neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos et Lælios multi venalicii mercatoresque superarunt, neque vestis aut cælatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Ægyptoque vicerunt; neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his Urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari. (Cic. Orator, c. LXX. — Quintilianus lib. IV, c. IV. — Priscianus, lib. X, c. IX).

9. Ad miserrimum [1] crudelissimumque dominatum dedi patiamini. (Arusianus, p. 224. Lind.).

10. Quam diligentes libertatis vos oporteat esse. (Idem, p. 226. Lind.)

11. Si vos hujus fortunas paucorum odio adjudicaveritis. (Idem, p. 216. Lind.).

12. Quis tam abundans copiis. (Priscianus, lib. XVIII, c. II. — Arusianus, p. 209. Lind.).

13. Qui commodis populi romani lingua dumtaxat ac voluntate consuluit. (Arusianus, p. 226. Lind.).

14. Expelleret a dispensantibus. (Idem, p. 228. Lind.).

15. Ne fraudi sit ei, qui populum ad contentionem vocarit. (Servius ad Æneid, lib. XI, v. 708.)

[*Ex ed Baiteri.*]

1 Hic ordo fragmentorum paululum immutatur.

IX. — ORATIO

IN SENATU IN TOGA CANDIDA CONTRA C. ANTONIUM ET L. CATILINAM COMPETITORES

ARGUMENTUM HISTORICUM

Hujus orationis fragmenta, haud aliter quam in P. Clodium et C. Curionem oratio vulgo citata, nobis ostendunt qua acerbitate quibusque contumeliis in hac tempestate apud senatum, sententiam rogati, senatores adversarios lacesserent, maxime quum honores amplissimos competitores una peterent, non ut ambitionem, sed ut avaritiam explerent suam, provinciasque, magistratu peracto, legitime vexare possent. Certe nihil novi hæc oratio attulit de cædibus Sullanis ac Catilinæ sceleribus, qui, domesticis imaginibus fretus, quamvis sese omnibus stupris inquinasset, ad imperium se esse natum profitebatur; at nos edocet quo ambitu novo candidati quidam populi suffragia in comitiis devincire tentarent. Antonius enim, si repulsam ferret, dicere palam audebat se cum pastoribus suis, prædonum agere vitam jampridem assuetis, fugitivorum bellum, ubi vellet, excitaturum. Quum candidati, ut civium studia ad se attrahant, tantas minas jactant et proferunt, licet asseverare in libera quondam civitate non leges sed vim dominari, dum inter cives armatos vel potentissimus vel callidissimus, dejectis omnibus adversariis, victoriæ ipsius conditione, non solum apud æquales sed etiam apud posteros tyrannidem suam gratam acceptamque efficiat [1].

Habita est oratio Coss. L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo, anno 64 ante J.-C. — Anno Ciceronis 43 —

1. Dico, P. C., superiore nocte, cujusdam hominis nobilis et

[1] De hac oratione argumentum Asconii legendum est.

valde in hoc largitionis quæstu noti et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse [1].

2. Quem enim aut amicum habere potest is, qui tot cives trucidavit aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se judicio æquo certare posse?

3. Nec se jam tum respexit, quum gravissimis vestris decretis absens notatus est.

4. In judiciis quanta vis esset didicit, quum est absolutus: si aut illud judicium aut illa absolutio nominanda est.

5. Populum vero, quum inspectante [2] populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit.

6. Me qua amentia inductus sit ut contemneret constituere non possum. Utrum æquo animo laturum putavit? At in suo familiarissimo viderat me ne aliorum quidem injurias mediocriter posse ferre.

7. Alter, pecore omni vendito et saltibus prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait se, quum velit, fugitivorum bellum excitaturum.

8. Alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; præsente populo romano factum est.

9. [Quamobrem augete etiam [3] mercedem, si vultis, Q. Mucii! Perseveret legem impedire ut cœpit senatus consultum; ego] ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.

10. Te tamen, Q. Muci, tam male de populo romano existimare moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. Quid? populus romanus minus diligenter sibi constitueret defensorem, quam tu tibi? Quum te furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Cujus tu consilium in turpissima causa delegisti, hunc

1 De singulis hujus orationis fragmentis consulendus est Asconius.

2 De ordine fragmentorum paululum immutato vide J. V. Leclerc et Ch. du Rozoir.

3 Ita et melius, ut opinor, Madvigius.

honestissimarum rerum defensorem populus romanus auctore te repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse.

11. Atque ut istum omittam, in exercitu Sullano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium. —

12. Te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui tibi, quum L. Volcatio consuli in consilio fuissent, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt. A senatoribus? qui te auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum pene Africanis oratoribus tradiderunt. Ab equestri ordine, quem trucidasti? A plebe? cui spectaculum ejusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere possit.

13. Quod caput etiam tum plenum animæ et spiritus ad Sullam usque ab Janiculo ad ædem Apollinis manibus ipse suis detulit.

14. Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi non dixerint? † quæ tibi dicere non licebit.

Et paulo post.

15. Denique illi negare potuerunt et negaverunt : tu tibi ne infitiandi quidem impudentiæ locum reliquisti. Quare præclara dicentur judicia tulisse, si, qui infitiantem Lucium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem

16. Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis et despicis; an eam, quam reliqua vita es consecutus? Quum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam quum culpa nulla subesset, crimen afferret.

17. Quum deprehendebare in adulteriis; quum deprehendebas adulteros ipse; quum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.

18. Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; cæde nefa-

ria cruentavit; diripuit socios; leges, quæstiones, judicia violavit.

19. Quid ego, ut involaveris provinciam, prædicem, cuncto [1] populo Romano clamante ac resistente! Nam ut te illic gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites romanos, falsas fuisse tabulas honestissimæ civitatis existimo; mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam; vidisse puto nescio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miser! qui non sentias illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium ac majus supplicium reservatum.

20. Prætereo illum nefarium conatum tuum et pæne acerbum et luctuosum populo romano diem, quum Cn. Pisone socio neque alio nemine cædem optimatum facere voluisti.

21. An oblitus es te ex me, quum præturam peteremus, petisse ut tibi primum locum concederem? Quod quum sæpius ageres et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere impudenter te facere, qui id a me peteres quod a te Boculus nunquam impetrasset.

22. Nescis me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum et collatione centuriarum et meo maxime beneficio e postremo in tertium locum esse subjectum?

23. *Dicit de malis civibus?* Qui posteaquam illo conati erant Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rempublicam sicas destringere.

24. Hunc vos scitote Licinium gladiatorem jam immisisse cupidum [2] Catilinæ, judices, Q. Curium, hominem quæstorium.

[1] Ex ed. Ch. du Rozoir.
[2] Ex ed. Ch. du Rozoir.

X. — ORATIO PRO Q. GALLIO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Si orationis pro Q. Gallio fragmenta tantum probarent numquam postulanti operam suam recusasse Ciceronem, quamvis reus adversariorum partes sæpe esset amplexus, in iis hærere supervacaneum esset; sed hæc romanam quamdam consuetudinem detegunt, quam quidem sagaciter nostra ætate romanarum rerum scriptores [1] animadverterunt, quamque tamen in lucem proferam necesse est. Romæ ad filios paternarum inimicitiarum hereditas veniebat, atque hujus patrimonii sese propugnatorem præstare debebat heres, quum nullus esset in civitate qui sine pudore ac rubore domesticas simultates deponere posset. In hac causa de ambitu et veneficio a Calidio Gallius accusatur, quia quondam de repetundis Calidii patrem ipse accusarat; ac paulo post, quum, defendente Cicerone, damnationem vitaverit, filium accusatorem, haud aliter quam patrem, idem insectabitur : ultio ista, quæ hodie *vendetta* nominatur, tunc temporis nulla alia re nisi accusationibus et judiciis explebatur placabaturque. Cicero neque tam acris neque tam pervicax inimicus unquam fuit : utrum id profuerit illius ingenio an obfuerit disserere non mihi in animo est; sed, si mortales inimicitias non exercuisset, num haberemus unde tanti ingenii, tam varii, tam flexibilis, tamque copiosi celeritatem miremur ?

Habita est oratio Coss. L. Julio Cæsare, C. Marcio, Figulo, anno 64 ante J.-C. — Anno Ciceronis 43.

1. Ut clamor, ut convicium mulierum, ut symphoniæ cantus. Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione osci-

[1] Vide historiam equitum Romanorum, auctore E. Belot, t. II. p. 199. s. q.

tantes. Versabatur inter hos Gallius, unguentis oblitus, redimitus coronis : humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis et spinis cooperta piscium. (Aquila, c. II. — Quintilianus, lib. VIII, c. III, et lib. XI, c. III. — C. Jul. Victor in arte Rhetorica, c. XXII.)

2. Loquor enim quæ sum ipse nuper expertus. Unus quidam poeta nominatus, homo perlitteratus, cujus sunt illa colloquia poetarum ac philosophorum, quum facit Euripidem et Menandrum inter se, et alio loco Socratem atque Epicurum disserentes, quorum ætates non annis sed seculis scimus esse disjunctas, quantos is plausus et clamores movet! Multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul litteras non didicerunt (Divus Hieronymus, de vit. Cler., t. I, p. 10, ed. Francof.)

3. An ista[1], si vera essent, sic a te dicerentur. (Quintilianus, lib. XI, c. III).

4. Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? Præsertim quum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? Ubi dolor? Ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet? Nulla perturbatio animi, nulla corporis; frons non percussa, non femur; pedis (quod minimum est) nulla supplosio. Itaque tantum abfuit, ut inflammares nostros animos : somnum isto loco vix tenebamus. (Cicero. Brutus, c. LXXX. — Quintilianus, loc. cit.)

5. Ego te certo scio omnes logos, qui ludis dicti sunt, animadvertisse. (Nonius, c. I, verbo Logi).

6. Qui spurce dictum commemorarent in libera civitate. (Eugraphius in Terentii Eunuch., II, 2, 4.)

7. Poematorum. (Charisius, lib. I, p. 114. Ed. Putsch.)

[1] Ordo fragmentorum paululum immutatur.

XI. — ORATIO PRO L. OTHONE

ARGUMENTUM HISTORICUM

Ex oratione pro L. Othone didicimus Ciceronem semper fuisse paratum se patronum profiteri non solum equestris ordinis, sed civium, cujuscumque fuerunt ingenii, qui equestris ordinis aut commodis aut gratiæ aut gloriæ favebant; at neque Cicero neque Otho providere poterat quantopere postea legem illam desiderarent equites, quæ, quum a cetero consessu, dum censum legitimum haberent, equestria subsellia separaret, ipsos ad oculos, ad suspicionem, ad crudelitatem [1] principis notabat ac designabat.

Habita est oratio Coss. M. Tullio Cicerone, C. Antonio, anno 63 ante J.-C. — Anno Ciceronis 44.

[Hic si sese isti viæ dedidisset]. (Arusianus, p. 223, Lind.)

XII. — ORATIO DE PROSCRIPTORUM LIBERIS

ARGUMENTUM HISTORICUM

Enarrationi meæ de hac oratione quid addam non habeo, quum, rerum communium statum Romæ ea tempestate exponendo, consilii in re publica mutationem Ciceronis tentaverim excusare; verum, ut opinor, inde evenit ut apud municipales cives nostri oratoris gratia imminueretur ac debilitaretur; quippe qui, non in Urbe versati, haud facile intelligerent quamobrem ille, qui, gloriæ curriculum ingressus, quondam Syllam verbis lacessere ausus erat, hodie imprimis rusticorum,

[1] Vide imprimis uberrimam illam Romanorum equitum historiam, auctore E. Belot, t. II, lib. II, c. II.

quos Sulla, velut pecora, trucidaverat victor, tabella consul declaratus, sullanas proscriptiones, ut ita dicam, defenderet.

Habita est oratio Coss. M. Tullio Cicerone, C. Antonio, anno 63 ante J.-C. — Anno Ciceronis 44).

Quid enim crudelius quam homines honestis parentibus ac majoribus natos a re publica submoveri? (Quintilianus, lib. XI, c. I).

XIII. — ORATIO CONTRA CONCIONEM Q. METELLI

ARGUMENTUM HISTORICUM

Ex enarratione mea atque enarrationis conclusione de oratione illa deque Ciceronis moribus et natura facile existimari potest; illum enim comperimus, cujus orationes non solum ab æqualibus avidissime legebantur sed etiam in scholis a pueris ediscebantur, quibusdam mutatis atque additis suam Metellinam edidisse; neque eum postea, quod quidem non semper evenit, hujus additamenti pœnituit.

Habita est oratio Coss. D. Junio Silano, L. Licinio Mureno, anno 62 ante J.-C. — Anno Ciceronis 45.

1. Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. (Augustini Principia Rh., p. 327, Capper.)

2. Permulsa atque recreata est. (Priscianus, lib. IX, c. IX).

3. Nisi eorum exitio non requieturam. (Idem. lib. X, c. III).

4. Escendi in concionem : concursus est populi factus. (Aulus Gellius, lib. XVIII, c. VII.)

5. Vestrum jam hic factum deprehenditur, patres conscripti, non meum : ac pulcherrimum quidem factum : verum, ut dixi, non meum, sed vestrum. — Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos judicastis. (Quintilianus, lib. IX. c. III.)

6. Venit ex Asia. Hoc ipsum quam novum! Tribunus plebi venit ex Asia. Verumtamen venit. (Idem, ibidem.)

7. Dediderim periculis omnibus, obtulerim insidiis, objecerim invidiæ. (Ibidem.)

8. Quæro ab inimicis sintne hæc investigata comperta, patefacta sublata, delata exstincta per me. (Idem, ibidem.)

9. Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi; in senatu sunt positi. (Idem, ibidem.)

10. Qui animum hostilem habet, et cujus facta hostilia sunt. (C. Julius Victor, c. VI, § 3, ed. Maii.)

XIV. — ORATIO DE CONSULATU SUO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Qui de hac oratione unus superest versus nihil historicis dicendique existimatoribus prodesse potest. Ceterum satis superque animadvertimus Ciceronem, qui laudis studio tam acri ducebatur, non aliis eas res celebrandas libentius dedisse, quas, ut ipse [1] dictibabat, « pro salute urbis atque imperii et pro vita civium proque universa republica » in suo consulatu gesserat.

Habita est oratio Coss. D. Junio Silano, L. Licinio Murena, anno 62 ante J.-C. — Anno Ciceronis 45.

Quorum luxuries † fortunata censa peperit. (Nonius, verbo Census, p. 202.)

1 Oratio pro Archia poeta, c. XI.

XV. — ORATIO IN P. CLODIUM ET C. CURIONEM

ARGUMENTUM HISTORICUM

Haud aliter quam Metellina, oratio in P. Clodium et C. Curionem nobis fuisse libellus videtur, quadam correctione adhibita, prolatus. Si ita res non esset, si habita oratio orationi scriptæ similis fuisset, quæ de hac Cicero dederat Attico suo mandata prorsus inutilia fuissent : Curio enim sui adversarii in curia contumeliosa verba jampridem nota habuisset. Ergo ex hoc affirmare possumus quamdam novam et nobis inauditam Ciceronem tenuisse consuetudinem, quam quidem, ut opinor, nonnulli ejusdem ætatis oratores sequebantur. Si forte enim apud senatum aut apud populum ex animo suo inimicum de statu dejicere non potuisset, domi quum stylum prehenderet, eum otiosus ac securus lacerabat. Inde, oratione in provincias, ut ita dicam, disseminata, ubi, ea quæ tum Romæ gerebantur attente audientes, senatores equitesque magna exspectatio tenebat, omnes pro certo habebant Ciceronem strages revera edidisse, et ceterorum eloquentiam eloquentiæ illius omnibus in causis fasces summittere. Veteratoriam istam scribendi aut dicendi rationem nemo est nostra ætate qui non rejiceret ac respueret; at Romæ omnia, quæcumque fuerant, anteacta victoria honesta fiebant.

Habita est oratio Coss. M. Pupio Pisone Calpurniano, M. Valerio Messala Nigro, anno 61 ante J.-C. — Anno Ciceronis 46.

Fragmenta orationis ex editione Orellii cum Beieri supplementis, quæ litteris inclinatis excuduntur.

I. 1. Statueram [1], P. C., quoad reus esset P. Clodius, nihil de illo neque apud vos neque alio ullo in loco dicere [2].

[1] Primus hæc fragmenta ex codice Ambrosiano Angelo Mai edidit.
[2] De his fragmentis consulendus est Scholiasta Bobiensis.

2. *Tametsi acerbissimum et capitale mihi odium minis*, ac furiosis concionibus indixerat,

3. Quod simul ab eo mihi et rei p. denuntiabatur :

4. *Tamen neque dixi quidquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum ut non possem prœterire; et facile patiebar* nihil me addere ad alterius periculum.

5. *Non enim illum reum, sed millies condemnatum arbitrabar, nisi relligio, nisi pudicitia, nisi judiciorum fides, nisi senatus auctoritas omnis concidisset.* Sin esset judicatum non videri virum venisse, quo iste venisset, *non magnopere intelligebam esse nobis laborandum, ne ita, ut sperarunt mali, alacris exsultaret improbitas in victoria.*

6. Ut ille e judicio, tanquam e naufragio, nudus emersit; [perturbatio [1] istum mentis et quædam scelerum offusa caligo et ardentes furiarum fasces excitarunt]; *prœsertim, quum ei frustra ea esset spes, cui inhiaverat cupiditati suœ blandiens, ut opimœ provinciœ proconsuli quœstor auctoritate senatus adderetur.*

II. 1. [Ac vide [2] an facile fieri tu potueris, quum is factus non sit, cui tu concessisti] Syriam sibi nos extra ordinem polliceri.

2. *Quum igitur* creditoribus suis spem ostentare provinciæ videretur,

3. Augens magnum quemdam cumulum æris alieni :

4. *Ut* ingemuit gravius timidior quidam creditor;

5. Confirmat se comitiis consularibus Romæ futurum.

6. *Quum vero ipsa jam sortitio provinciarum exspectaretur*, tanto prius ad ærarium venit, ut ibi ne scribam quidem quemquam offenderet.

III. 1. *Atque etiam simulabat se, ut tribunus plebis fieret, contaminatis gentibus, jure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto, amissis sacris paternis, in adoptiva transiturum :* [quibus [3] iste], qui omnia sacrificia nosset, [facile ab se deos [4] placari posse arbitrabatur].

1 [ ] Quintilianus, lib. IX, c. III.
2 [ ] Quintilianus, lib. V, c. II.
3-4 [ ] Quintilianus, lib. IX, c. II

2. Quum se ad plebem transire velle diceret, sed misere fretum transire cuperet,

3. Hanc loquacem Siciliam non despexit.

4. *Jam vero ex judicio tam egens emissus, quam quidam judices ante illum judicium fuerunt, et ad aliquod severius judicium reservatus, ut in concionem ad popularem jactationem escenderat, aperte victrice nequitia ac libidine exsultans ac triumphans*, accesserunt ita pauci, ut eum non ad concionem sed sponsum diceres advocasse.

5. *Quasi vero periculum sit in spondendo* pro eo cujus satisdationes semper dicuntur induci.

6. *Nunc ego furialibus illis vocibus respondebo, quas tu, o cœnum! o labes! o pestis importuna! in concionibus misisti. Nam quæ ad fautorem tui flagitii, patroni tui filium, pertinent, quamvis ille operarum ac gregalium tuorum dux in concionibus meo nomine ad invidiam usus sit, contumelioseque me læserit; tamen hæc nunc, quantum res patiatur, antiquæ, quæ mihi cum patre ejus adhuc fuit, amicitiæ et necessitudini condonanda potius* [*intel*lego quam [1] in absentem esse dicenda.]

IV. 1. Primum homo durus ac priscus invectus est in eos qui mense aprili apud Baias essent, [et aquis [2] calidis uterentur.]

2. [Quid cum [3] hoc homine nobis tam tristi ac severo? Non possunt hi mores ferre hunc tam austerum et tam vehementem magistrum,] per quem hominibus majoribus natu ne in suis quidem prædiis [impune [4]] tum, quum Romæ nihil agitur, liceat esse valetudinique servire. [Verumtamen [5] ceteris *pos*sit ignoscere; *ei* vero *qui villam habeat* in illo loco, nullo modo. Quid homini, inquit, Arpinati cum Baiis, agresti ac rustico?]

3. [Quo [6] loco] ita fuit cæcus, ut facile appareret vidisse eum quod fas non fuisset.

1-3 [ ] Primus hæc fragmenta uncis inclusa e Taurinensi codice edidit Amedæus Peyron.

4-6 Hæc fragmenta uncis inclusa [ ] e Taurinensi codice primus edidit Amedæus Peyron.

4. [Nec enim [1] respexit] illum ipsum patronum libidinis suæ [non modo [2] apud Baias esse, verum eas ipsas aquas habere, quæ gustu tamen Arpinatis fuissent. Sed videte metuendam inimici et hostis bilem et licentiam. Is me dixit ædificare ubi nihil habeo; *ubi habeo* ibi fuisse : qu*omodo* enim non *mirer* patentem adversarium, qui id objiciat, quod vel honeste confiteri vel manifesto redarguere possis ?]

V. 1. Nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam [et [3] mitram et purpureas fascias habere non possumus] : « tu vero festivus, tu elegans, tu solus [4] urbanus; quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriæ, qui effeminare vultum, attenuare vocem, lævare corpus potes.»

2. [O singulare [5] prodigium ! at o monstrum ! Nonne te hujus templi, non urbis, non vitæ, non lucis pudet ? Tu], qui indutus muliebri veste fueris, [virilem [6] vocem audes emittere, cujus importunam libidinem et stuprum cum scelere conjunctum ne subornandi quidem mora retardavit.]

3. Tunc, quum vincirentur pedes fasciis, quum calautica [7] capiti accommodaretur, quum vix manicatam tunicam in lacertos induceres, quum strophio accurrate præcingerere, in tam longo spatio nunquam te Appii Claudii nepotem esse recordatus es? Nonne, etiamsi omnem mentem libido averterat, tamen ex*iturum per atrium imagines majorum tuorum te a tanto scelere etiam mutæ revocare debuerunt? Quem enim unquam audisti majorum tuorum, qui et sacra privata coluerunt et publicis sacerdotiis præfuerunt, quum sacrificium Bonæ Deæ fieret, interfuisse neminem, ne illum quidem, qui cæcus est factus.*

4. Sed, credo [8], postquam speculum tibi allatum est, longe te a pulchris abesse sensisti.

[1, 2, 3, 5, 6] Hæc fragmenta uncis inclusa [ ] e Taurinensi codice primus edidit Amedæus Peyron.

[4] Jam nota hæc e Nonio, VI, 98 ; Jul. Rufinian. de Figur. sentent. p. 30. ed. Capperon. J. V. Leclerc.

[7] Habet Nonius *calantica*, lib. XIV, c. II. J. V. Leclerc.

[8] Citaverat Nonius, voc. *longe* et *speculum*. Hæc et reliqua debemus codic Ambrosiano. J. V. Leclerc.

VI. 1. At sum, inquit, absolutus. — Novo quidem hercle more, cui uni absoluto lites æstimatæ sunt. —

2. *Juranti, inquit, tibi judices, non crediderunt.* — Quasi ego non contentus sim, quod mihi quinque et XX judices crediderunt, *XXXI tibi nihil crediderunt*, qui sequestres abs te locupletes acceperint *manifesti perjurii et præsidium a nobis petierint.*

3. *Quid?* divortium pontificis maximi, *nonne te aperte arguit furem muliebrium relligionum?*

VII. 1. [[1] Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit]. Quattuor tibi sententias solas ad perniciem defuisse.

2. *Tu quidem præ te fers pecuniam te recepturum, qua sententias emisti eorum, qui te crimine liberarunt. Quem vero tam stultum fore existimas, ut pecuniam quam acceperit reddat?* Nam L. quidem Cotta, *quod in judice spectari et fortuna deberet, et dignitas, ita judicatum amplissimorum ordinum delectis viris patere voluit*,.

3. Ut posthac lege Aurelia judex esse non possit [2], *nisi salvis nummis.*

4. *Ut Idib. Maiis in senatum convenimus, rogatus ego sententiam multa dixi de summa re publica, atque ille locus inductus a me est divinitus :* ne una plaga accepta patres conscripti conciderent, ne deficerent; vulnus esse ejus modi, quod mihi nec dissimulandum nec pertimescendum videretur, ne aut metuendo ignavissimi aut ignorando stultissimi judicaremur; bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium jam esse a judicibus in rem publicam immissum. Erras, Clodi; non te judices urbi sed carcerire servarunt, neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. Quam ob rem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in re publica bonorum consensio, dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta; nihil est damni

1 Quintilianus lib. VIII, c. vi.

2 Hactenus nova fragmenta J. V. Leclerc.

factum novi, sed, quod erat, inventum est. In unius hominis perditi judicio plures similes reperti sunt. *Sed quid ago? pœne orationem in epistolam inclusi.* (Cicero, ad Atticum Epist., I, 16.)

XVI. — ORATIO DE REGE ALEXANDRINO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Hæc oratio, quæ ad rerum romanorum historiam sincere scribendam multum proficit, eadem summo honori Ciceroni est. Etenim, si nos edocet quam precario in suo regno socii Romæ reges præessent, republica jam senescente, et quot quantasque a subjectis pecunias exigere cogerentur, ut paucorum, penes quos omnis erat potestas, avaritiam satiarent; si deinde nobis probat quemque nobilissimum aut in Asia aut in Asiæ circumjacentibus regionibus, magistratu peracto, provinciam plerumque concupiisse, ut mox inde, sociorum spoliis locupletatus, Romam redire posset; si denique nobis ostendit senatum minime fuisse paratum deligere ad bellum Ægyptium imperatorem, ne quis, post victoriam, ex regione illa, quæ tunc temporis erat opulentissima, divitias eas conflaret, quibus omnia emere ac tute regnum affectare valuisset : ante omnia ponit Ciceronem semper dixisse et sensisse istam in re publica administranda pecuniarum appetitionem civitatis dignitati haudquaquam esse consentaneam. Ille enim non solum sociorum regum miseretur; sed etiam censet imprimis gloriæ suæ senatus inserviat esse necesse, si nomen romanum juxta deos immortales ab exteris gentibus diligi velit; et suadet ut apud omne genus humanum fidem, æquitatem humanitatemque populus romanus præstet, quasi tantæ virtutes, in ista hominum societate tam avida tamque crudeli, rerum ponderibus non autem verborum momentis essent laudatæ; quasi Galgacus

perpetuam conditionem vimque victoriæ adversus Romæ hostes non breviter ac vere complexus esset.

Habita est oratio Coss. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo, anno 56 ante J.-C. — Anno Ciceronis 51.

I. 1. Ut rapiat, ut latrocinetur [1].

2. Si hercle in nostris rebus tam acres ad pecunias, tam attenti, tam avari soleremus esse.

II. 1. Sed tamen quæ sunt nostra judicia.

2. Debent esse modestissima; quoniam quidem est hoc summi imperii nosmetipsos de nostris rebus judicare.

3. Qui ex hereditate tanta unum solum nomen agnoverimus.

III. 1... Ut bellum gerendum esse censeret, qui mentionem pecuniæ fecerat.

Sic est justa causa belli, sicuti Crassus commemoravit cum Jugurtha fuisse.

2. Non patiar hanc exaudiri vocem hujus imperii : ego te, nisi das aliquid, hostem; si quid dederis, regem et socium et amicum judicabo.

IV. 1. Quum ille rex sit interfectus, hunc puerum in Syria fuisse.

2. Atque illud etiam constare video, regem illum, quum reginam sororem suam, caram acceptamque populo, manibus suis trucidasset, interfectum esse impetu multitudinis [2].

V. [Difficilis ratio bella gerendi, at plena fidei, plena pietatis [3]]. (Aquila, c. XIV. — Marcianus Capella, de Rhetorica, p. 428. Ed. Capperon.)

1 De his fragmentis consulendus est scholiasta Bobiensis.

2 Hactenus fragmenta, quæ primus edidit A. Maius e codice Ambrosiano.

3 [ ] Vetus fragmentum.

XVII. — ORATIO PRO P. VATINIO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Si pro rege Alexandrino Ciceronis orationem laudibus sumus prosecuti, nos ignorare velimus, ut tanti viri fama non dehonestaretur, ab eodem, Cæsare orante, Vatinium esse defensum. Attamen, quotiescumque istam infirmitatem temporibus accommodatam notare cogitamus ac vim animi Ciceroni defuisse clamare, primum omnium quæramus oportet num, revera, de ignavia aut timididate is accusari possit, qui adversus Sullam dictatorem, silente civitate, Roscium Amerinum defendere ausus est; quique senex, quum in otio nec sine dignitate vivere posset, ut Romam liberam relinqueret, cum Antonio dimicando pro patria mortem optavit atque oppetiit.

Habita est oratio Coss. L. Domitio Ahenobarbo, App. Claudio Pulchro, anno 54 ante J.-C. — Anno Ciceronis 53.

Quum Vatinium defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suadet militi :

Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. Si quando illa dicet, Phædriam in-
tromittamus comissatum : tu Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit hæc
Illius formam, tu hujus contra. Denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Sic petivi a judicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines et de me optime meriti nimis amarent inimicum meum, meque inspectante sæpe eum in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur, quoniamque illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem illorum animos, mediocriter lacessitus, leviter repungere. (Cicero. ad Div., lib. I, ep. 9.)

XVIII. — ORATIO PRO M. ÆMILIO SCAURO

ARGUMENTUM HISTORICUM

Si nobis alia deessent testimonia, una Scauriana oratio abunde probaret nunquam a defendendis civibus sublevandisque Ciceronem discessisse, quorum vel furta maxima vel facinora ante omnium oculos posita ipse noverat; sed illa non ob eam rem nobis est hodie legenda, sed ob hoc quia quædam nova de judicialibus Romæ consuetudinibus vel detegit vel confirmat. Tria enim inde, quæ sunt nobis diligentissime animadvertenda, didicimus. Ea tempestate illustrissima quæque causa a pluribus defendebatur, seu totam causam seu partem tantum diceret delectis unus e patronis, quod quidem sæpe testatur [1] Cicero, cui perorationem omnes libentissime relinquebant; præterea, rei nobilissimi istis semper judicialibus laudationibus utebantur, quæ nostra ætate omnino repudiantur, quibusque, ut ita dicam, freti ac subnixi, judicem aut permovebant aut terrebant; denique, ut absolutus cliens demitteretur, tragædias (verbum autem usitatum usurpo) patroni movere atque excitare non dubitabant. Certe in Scauri causa non Cicero diloricavit [2] tunicam, nec puerum infantem in manibus perorans [3] tenuit, nec, sublato filio rei parvo, plangore et lamentatione complevit forum; sed ad pedes judicum patroni et laudatores, bifariam distributi, sese abjecerunt. Ante omnia enim necesse erat ut perturbatione mentis impulsi judices sententiam darent, quamvis tantæ tragædiæ ea damnarent judicia, quæ tale agendi ac perorandi genus plurimum valere patiebantur.

Habita est oratio Coss. L. Domitio Ahenobarbo, App. Claudio Pulchro, anno 54 ante J.-C. — Anno Ciceronis 53.

[1] Brutus, c. LVII. — Orator, c. XXXVII.
[2] De Oratore, lib. II, c. XXVIII.
[3] Orator, c. XXXVIII.

ORATIO PRO M. ÆMILIO SCAURO

EX RECENSIONE CAROLI BEYERI CUM SUPPLEMENTIS EJUSDEM, QUÆ LITTERIS INCLINATIS EXCUDUNTUR

I. 1. *a.* Maxime fuit optandum M. Scauro, judices, ut; nullo suscepto cujusquam odio, sine offensione ac molestia * * retineret (id quod præcipue semper studuit) generis, familiæ, nominis dignitatem. [*Verumtamen, quoniam ita tulit casus infestus, non recusandum sibi arbitratur, quo minus eadem fortuna utatur, qua pater, qui sæpenumero ab inimicis ad causæ dictionem vocatus est.*] D. Augustinus. Princip. Rhet. p. 328, Capp. — Arusianus Messus, p. 260. Lind.)

1. *b.* [*Summum nostræ civitatis virum scimus accusatum a M. Bruto. Exstant orationes, ex quibus intelligi potest multa in illum ipsum Scaurum esse dicta. — Falso. Quis negat? Verumtamen ab inimico dicta et objecta.*]

Subiit etiam populi judicium inquirente Cn. Domitio, tribuno plebis. (Asconius.)

2. Reus est factus a Q. Servilio Cæpione lege Servilia, quum judicia penes equestrem ordinem essent et, P. Rutilio damnato, nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa. (Idem.)

3. Ab eodem etiam lege Varia custos ille rei publicæ proditionis est in crimen vocatus : vexatus a Q. Vario tribuno plebis est non multo ante. (Idem.)

[*Hujus multorum calumniis vexati viri filium, judices, nunc invidi atque inimici ignominioso repetundarum judicio perfundere volunt. Ejus causam ut reciperem, hoc clarissimi patris memoriæ debere me existimavi.*]

4. *a.* Non enim tantum admiratus sum ego illum virum, sicut omnes, sed etiam præcipue dilexi. Primus enim me flagrantem studio laudis in spem impulit, posse virtutem sine

præsidio fortunæ, quo contendisset, labore et constantia pervenire. (Asconius.)

4. *b*. Et, quoniam congesta fuit accusatio magis acervo quodam criminum, non distinctione aliqua generum et varietate, (Severianus, Syntom. rhet, p. 334, ed. Capp.) [*his si* universe (Charisius II, p. 198, ed. Putsch.) *potius quam argumentis ad singula respondero, videar causæ atque officio meo satis fecisse. Nihilominus tamen totam causam, judices, explicemus atque ante oculos expositam consideremus. Ita facillime et quibus de rebus nos dicere oporteat et quid vos sequi conveniat intelligetis.*]

4. *c*. Bostarem igitur quemdam dicit Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum. (Severianus, Syntom. rhet., p. 337, Capp.) [*Triarius criminatur hujus malitiosis blanditiis e fuga revocatum atque hospitali mensæ adhibitum veneno ab hospite necatum esse et*] prius illum sepultum, quam huic cœnam sublatam. (Idem, ibidem.)

4. *d*. [*Quæ veneni dati suspicio, judices, primum quam levis sit, statim apparebit, si considerare volueritis ex quibus causis mors sæpe eveniat repentina.*]. . . .

. . . .

4. *e*. *In ea Scaurus fortuna erat constitutus, ut non modo suas possessiones facillime retineret, verum etiam nova posset acquirere potius*] bon*a*, quam quod habebat *ve*niret. Agedum ego defendi Scau*rum*, Triari; defende tu matreem [*Bostaris, quam ipsam arguo huic culpæ esse affinem*]. Codex Ambrosianus.)

[*Refutavi etiam illud, quod dicebas*] te *me*tuere, *ne* non solvendo fuisse, bona denique reus n*e retinere voluisse*, qu*æ* proscripta esse*nt*, nis*i* [*Bostare intestato mortuo sic egisset eam rem, quasi ad ipsum hereditas pertineret, neve hæc ipsa ei causa Bostarem veneno necandi fuisse videretur.*] (Codex Ambrosianus.)

4. *f*. Si denique in illa bona invadere nullo modo potuisset nisi mortuo Bostare. (Arusianus Messus, p. 243. Lind.)

5. Si, mehercule! judices, pro L. Tubulo dicerem, quem

unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus : tamen non timerem, venenum hospiti aut convivæ si diceretur cenanti ab illo datum, cui neque heres neque iratus fuisset, [*ne cui hoc credibile videretur.*] (Asconius.)

6. [*Venio jam ad crimen incontinentiæ intemperantiæque libidinum, cujus notam accusator Scauro ejusque famæ inurere voluit. — Conjugem suam, inquit, quam ipse amabat, istius incensæ libidini atque effrenatæ cupiditati*] quum dare nollet Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus. (Priscianus, lib. VI, p. 689.)

7. [*Scilicet relicta illic uxore ipse fuga sibi consuluit, quemadmodum castores, ut aiunt, a venatoribus*] redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur. (Isidorus, Etym., lib. XII, c. II. — Servius ad Georg., lib. I, v. 59.)

8. [*Sed, ut Scaurus omnium hominum dissolutissimus libidinosissimusque semper fuerit, tamen incredibile dictu est, judices, quod Triarius addidit, Arinis uxorem prætoris licentia adactam esse, ut injuriæ remedium morte ac suspendio quæreret. Hic enim primus et cum bestiis communis homini ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datus est, quo ipse sibi conciliatur et commendatur ad se conservandum, alienatur autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre.*)

II. 1. *a.* Sic, inquam, se, judices, res habet. Neque hoc a me novum disputatur, sed quæsitum ab aliis est. (Asconius, circa tertiam partem a primo.)

1. *b.* [*Sed tamen id ita esse exemplis probari potest. Stuprata per vim Lucretia a regis filio, testata cives, se ipsa interemit. Hic dolor causa civitati libertatis fuit. Ac ne fortissimi quidem viri, nisi in extrema necessitate alicujus dedecoris evitandi causa, mortem ultro oppetiverunt : ut P. Crassus Mucianus cum Aristonico bellum in Asia gerens, a Thracibus, quorum is magnum numerum in præsidio habebat, inter Elæam et Smyrnam exceptus, ne in ditionem*

ejus perveniret, dedecus arcessita ratione mortis effugit. Virgam enim, qua ad regendum equum usus fuerat, narratur in unius barbari oculum direxisse, qui, vi doloris accensus, latus Crassi sica confodit, dumque se ulciscitur, Romanum imperatorem majestatis turpitudine liberavit. Ostendit Fortunæ Crassus quam indignum virum tam gravi contumelia afficere voluisset, quoniam quidem injectos ab ea libertati suæ miserabiles laqueos prudenter pariter ac fortiter rupit, donatumque se jam Aristonico dignitati suæ reddidit] * * *Illa* audivimus; hoc vero meminimus ac pæne vidimus ejusdem stirpis et nominis P. Crassum, ne in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse. (Asconius.)

2. Ac neque illius Crassi factum superioris, iisdem honoribus usus, qui fortissimus in bello fuisset, M'. Aquilius potuit imitari. (Asconius), [*sed memoriam juventu*] tis [1] suæ rerumque gestarum senectutis dedecore fœdavit. Quid [2] vero? alterum Crassum temporibus eisdem num aut clarissimi viri Julii aut summo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari?

3. Quid? in omnibus monumentis Græciæ, quæ sunt verbis ornatiora quam rebus, quis invenitur, quum ab Ajace fabulisque discesseris, qui tamen ipse

> *Ignominiæ dolore*, ut ait poeta, *victor insolens*
> *Se victum non potuit pati*,

præter Atheniensem Themistoclem, qui se ipse morte multavit?

4. At Græculi quidem multa fingunt, apud quos etiam Cleombrotum Ambraciotam ferunt se ex alto præcipitasse muro, non quo acerbitatis accepisset aliquid, sed, ut video scriptum apud Græcos, quum summi philosophi Platonis graviter et ornate scriptum librum de morte legisset, in quo, ut opinor, Socrates illo ipso die, quo erat ei moriundum, per-

1 Hæc sunt: *tis suæ - - etiam facilius.* § 7 e Taurinensi codice, quem primus edidit Amedæus Peyron.

2 Habet hæc Asconius: *Quid - - vero potuit imitari?*

multa disputat, hanc esse mortem, quam nos vitam putaremus, quum corpore animus tamquam carcere sæptus teneretur; vitam autem esse eam, quum idem animus vinclis corporis liberatus in eum se locum, unde esset ortus, retulisset.

5. Num igitur ista tua Sarda Pythagŏram aut Platonem norat aut legerat? Qui tamen ipsi mortem ita laudant, ut fugere vitam vetent atque id contra fœdus fieri dicant legemque naturæ. Aliam quidem causam mortis voluntariæ nullam profecto justam reperietis. Atque hoc ille vidit. Nam jecit quodam loco vita illam mulierem spoliari quam pudicitia maluisse.

6. Sed refugit statim nec de pudicitia plura dixit, veritus, credo, ne quem irridendi nobis daret et jocandi locum. Constat enim illam quum deformitate summa fuisse, tum etiam senectute. Quare quæ potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis aut amoris esse suspicio?

7. Ac ne existimes, Triari, quod afferam in dicendo me fingere ipsum et non a reo causam cognoscere, explicabo tibi quæ fuerint opiniones in Sardinia de istius mulieris morte (nam fuerunt duæ), quo etiam facilius [*hi et Scauri innocentiam et testium tuorum audaciam cognoscere possint; et eorum, quæ facta sunt, indignitatem.*]

8. [*Sardæ istius maritus Aris matrèm Bostaris*], te dixi [1] libidinosam atque improbam matrem, infami ac noto adulterio jam diu diligebat. Is, quum hanc suam uxorem anum et locupletem et molestam timeret, neque eam habere in matrimonio propter fœditatem neque dimittere propter dotem volebat. Itaque compacto cum matre Bostaris consilium cepit, ut uterque Romam veniret; ibi se aliquam rationem inventurum, quemadmodum illam uxorem duceret, confirmavit.

9. Hic opinio fuit, ut dixi, duplex, una non abhorrens a statu naturaque rerum, Arinis [2] uxorem pælicatus dolore concitatam, quum audisset Arinem cum illa sua metus et fugæ

[1] Hæc sunt: *te dixi - - si doces tabulis.* § 18 e codice Ambrosiano, quem primus edidit Angelo Mai.

[2] Verba: *Arinis - - concitatam* refert Priscianus, lib. VI, p. 689. J. V. Leclerc.

simulatione Romam se contulisse, ut, quum antea consuetudo inter eos fuisset, tum etiam nuptiis jungerentur, arsisse dolore muliebri et mori quam id perpeti maluisse.

10. Altera non minus veri similis, et, ut opinor, in Sardinia magis etiam credita. Arinem istum testem atque hospitem, Triari, tuum proficiscentem Romam negotium dedisse liberto, ut illi aniculæ non ille quidem vim afferret (neque enim erat rectum patronæ), sed [1] collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret, ut illa perisse suspendio putaretur.

11. Quæ [2] quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod, quum agerent parentalia Norenses omnesque suo more ex oppido exissent, tum illa est a liberto suspendisse se dicta. Discessus autem solitudo ei, qui patronam suffocabat, fuit quærenda; illi, quæ volebat mori, non fuit.

12. Confirmata vero suspicio est, quod anu mortua libertus statim, tamquam opere confecto, Romam est profectus; Aris autem, simul ac libertus de morte uxoris nuntiavit, continuo Romæ matrem illam Bostaris duxit uxorem.

13. En quibus familiis quam fœdis, quam contaminatis, quam turpibus *de*datis hanc familiam, judices? en quibus testibus commoti de quo homine, de quo genere, de quo nomine sententias feratis! Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera? Cernitis crudelitate mixtas libidines, videtis immanes; duorum maximorum criminum auctores, quibus criminibus hæc tota apud ignaros aut invidos famata causa est, omni facinore et flagitio deformatos habetis.

14. Num igitur in his criminibus, judices, residet jam aliqua suspicio? Non perpurgata sunt? non refutata? non fracta? Qui igitur id factum est? Quia dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem; quia genus ejusmodi fuit criminum, quod non totum penderet ex teste, sed quod ponderaret [3] judex ipse per se.

1 *Sed - oblideret* laudat Porphyrio ad Horat. Serm. II. I. 56. J. V. Leclerc.
2 *Quæ - - Norenses* habet Severianus Synt. Rhet. p. 339. Capp. J. V. Leclerc.
3 *Sed quod - - per se* habet scholia Bobiensia ad orationem pro Scauro.

15. Neque vero, judices, quidquam aliud in ignoto[1] teste facere debemus, nisi ut argumento, conjectura, suspicione rerum ipsarum vim naturamque quæramus. Etenim testis non modo Afer, aut Sardus sane, si ita se isti malunt nominari, sed quivis etiam elegantior ac religiosior impelli, deterreri, fingi, flecti potest; dominus est ipse voluntatis suæ, in quo est impunita mentiendi licentia.

16. Argumentum vero, quod quidem est proprium rei (neque enim ullum aliud argumentum vere vocari potest), rerum vox est, naturæ vestigium, veritatis nota : id, qualecumque est, maneat immutabile necesse est; non enim fingitur ab oratore, sed sumitur. Quare in eo genere accusationis si vincerer, succumberem et cederem : vincerer omni re, vincerer causa, vincerer veritate.

17. Agmen[2] tu mihi inducas Sardorum et catervas, et me non criminibus urgere sed Afrorum[3] fremitu terrere conere? Non potero equidem disputare, sed ad horum fidem et mansuetudinem con*fugere*, *a*d *j*us *jurandum judicum*, *ad* populi Romani *æqui*tatem, qui hanc familiam in hac urbe principem voluit esse; deorum immortalium numen implorare potero, qui semper exstiterunt huic generi nominique fautores.

18. « Poposcit, imperavit, eripuit, coegit. » — Si doces tabulis, quoniam[4] habet seriem quamdam et ordinem contracti negotii confectio ipsa tabularum, attendam acriter, et quid in defendendo mihi agendum sit videbo. Si denique nitere testibus, non dico bonis viris ac probatis, noti sint modo, quemadmodum mihi cum quoque sit confligendum considerabo.

19. Sin unus color, una vox, una natio est omnium testium, si, quod ii dicunt, non modo nullis argumentis, sed ne litterarum quidem aliquo genere aut publicarum aut privatarum, quod tamen ipsum fingi potest, confirmare conantur : quo me vertam, judices, aut quid agam? Cum singulis disputem? †.

1 *In ignoto teste* habet scholia Bobiensia.

2 *Agmen - - Sardorum* habet scholia Bobiensia.

3 *Afrorum fremitu* habet scholia Bobiensia.

4 Hæc : *quoniam habet - - atque injurias.* § 25. Habent Ambrosianus et Taurinensis codices.

Quid? habuisti quod non dares [1]? Habuisse se dicet. Quis id sciet? Quis judicabit non fuisse causam? Finget fuisse. Qui refellemus potuisse non dare si noluisset? Vi ereptum esse dicet. Quæ potest eloquentia disputando ignoti hominis impudentiam confutare?

20. Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione et cum expresso, coacto sollicitatoque perjurio subtiliter, neque acu quædam enucleata argumenta conquiram, sed contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurram atque confligam. Non est unus mihi quisque ex illorum acie protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum; tota [2] est acies illa uno impetu prosternenda.

21. Est enim unum maximum totius Sardiniæ frumentarium crimen, de quo Triarius omnes Sardos interrogavit, quod genus uno testimonii fœdere et consensu omnium est confirmandum. Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis, judices, ut me totius nostræ defensionis quasi quædam jacere fundamenta patiamini. Quæ si erunt, ut mea ratio et cogitatio fert, posita et constituta, nullam accusationis partem pertinescam.

22. Dicam [3] enim primum de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro : quibus rebus explicatis, tum denique ad hoc horribile et formidolosum frumentarium crimen accedam.

23. Quod est igitur hoc accusationis, Triari, genus? Primum, ut inquisitum non ieris, quæ fuit ista tam ferox, tam explorata hujus opprimendi fiducia? Pueris nobis audisse videor L. Ælium libertinum hominem litteratum ac facetum, quum ulcisceretur patroni injurias, nomen Q. Muttonis, hominis sordidissimi, detulisse. A quo quum quæreretur quam provinciam aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum in foro boario inquireret, postulavit.

1 Locus valde dubius J. V. Leclerc.
2 Hæc: *tota - - prosternenda* habet scholia Bobiensia.
3 *Dicam enim primum* habet scholia Bobiensia.

24. Hoc tu idem tibi in M. Æmilio Scauro putasti esse faciendum? — « Delata enim, inquit, causa ad me Romæ est. » — Quid? ad me Siculi nonne Romam causam Siciliæ detulerunt? Atqui homines prudentes natura, callidi usu, doctrina eruditi. Tamen ego mihi provinciæ causam in provincia ipsa cognoscendam et discendam putavi.

25. An ego querelas atque injurias aratorum [1] non in segetibus ipsis arvisque cognoscerem? Peragravi, inquam, Triari, durissima quidem hieme valles Agrigentinorum atque colles. Campus [2] ille nobilissimus ac feracissimus ipse me causam pæne docuit Leontinus. Adii casas aratorum; a [3] stiva ipsa homines mecum colloquebantur.

26. Itaque sic fuit illa expressa causa, non ut audire ea quæ dicebam judices, sed ut cernere et pæne tangere viderentur. Neque enim mihi probabile neque verum videbatur me, quum fidelissimæ atque antiquissimæ provinciæ patrocinium recepissem, causam tamquam unius clientis in cubiculo meo discere.

27. Ego nuper, quum Reatini, qui essent in fide mea, me suam publicam causam de Velini fluminibus et cuniculis apud hos consules agere voluissent, non existimavi me neque dignitati præfecturæ gravissimæ neque fidei meæ satis esse facturum, nisi me causam illam non solum homines, sed etiam locus ipse lacusque docuisset.

28. Neque tu aliter fecisses, Triari, si te id tui isti Sardi facere voluissent, hi, qui te in Sardiniam minime venire voluerunt, ne longe aliter omnia atque erant ad te delata cognosceres, nullam multitudinis in Sardinia querelam, nullum in Scauro odium popu[*li.*]

29. [*Ac vide, Triari, quantum præterea intersit inter meam atque tuam accusationem. Ego non ante comperendinavi, quam, quemadmodum Jupiter, si poetarum fabulis*

[1] Hæc: *aratorum* usque ad § 28 *odium popu* habet solus Taurinensis codex.

[2] Hæc: *Campus - - Leontinus* habent Rufinianus c. 38 et Fortunatianus Art. Rhet. III, p. 91. Amedæus Peyron.

[3] Locum servaverat Servius ad Georg. lib I. v. 184. A. Peyron.

credimus, Enceladum dejectum atque semiustum imposita insula operuit, vel, ut alii volunt, Typhonem cujus anhe] litu [1] Ætnam ardere dicunt, sic Verrem operuissem Sicilia teste tota. Tu uno comperendinasti reum teste producto. At quo teste? dii immortales! Non satis quod uno, non quod ignoto, non quod levi : etiamne Valerio teste primam actionem confecisti, qui, patris tui beneficio civitate donatus, gratiam tibi non illustribus officiis, sed manifesto perjurio rettulit.

30. Quod si te omen nominis vestri forte duxit, nos [2] tamen id more majorum, quia faustum putamus, non ad perniciem, verum ad salutem interpretamur. Sed omnis ista celeritas ac festinatio, quod inquisitionem, quod priorem actionem totam sustulisti, illud patefecit et illustravit, quod occultum tamen non erat, non esse hoc judicium judicii, sed comitiorum consularium causa comparatum.

31. Hic ego Appium Claudium, consulem fortissimum atque ornatissimum virum, mecumque, ut spero, fideli in gratiam reditu firmoque conjunctum, nullo loco, judices, vituperabo. Fuerant enim eæ partes aut ejus quem id facere dolor et suspicio sua coegit, aut [3] ejus qui has sibi partes depoposcit, quod aut non animadvertebat quem violaret, aut facilem sibi fore in gratiam reditum arbitrabatur.

32. Ego tantum dicam quod et causæ satis et in illum minime durum aut asperum possit esse. Quid enim habet turpitudinis Appium Claudium M. Scauro esse inimicum? Quid? avus ejus P. Africano non fuit? Quid? mihi ipsi idem iste? Quid? ego illi? Quæ inimicitiæ dolorem utrique nostrum fortasse aliquando, dedecus vero certe nunquam attulerunt.

33. Successori decessor invidit et voluit eum quam maxime offensum, quo magis ipsius memoria excelleret: res non modo non abhorrens a consuetudine, sed usitata etiamnum et valde

1 Hæc: *litu Ætnam* usque ad. § 31 *suspicio sua coegit* habet solus codex Ambrosianus.

2 Hæc: *nos tamen id more majorum* habet scholia Bobiensia.

3 Hæc: *aut ejus - - fama detraxerint.* § 36 habent Ambrosianus et Taurinensis codices.

pervagata. Neque [1] vero tam hæc ipsa quotidiana res Appium Claudium illa humanitate et sapientia præditum per se ipsa movisset, nisi hunc C. Claudii, fratris sui, competitorem fore putasset.

34. Qui, sive [2] patricius sive plebeius esset (nondum enim certum constituerat), cum hoc sibi contentionem fore putabat; Appius autem hoc majorem etiam, quod illum in pontificatus petitione, in saliatu, in cæteris meminerat fuisse patricium. Quam ob rem se consule neque repelli fratrem volebat, neque, si patricius esset, parem Scauro fore videbat, nisi hunc aliquo aut metu aut infamia perculisset.

35. Ego id fratri in honore fratris amplissimo non concedendum putem, præsertim qui, quid amor fraternus valeat, pæne præter ceteros sentiam? — At enim frater jam non petit. — Quid tum! Si ille retentus a cuncta Asia supplice, si a negotiatoribus, si a publicanis, si ab omnibus sociis civibus exoratus anteposuit honori suo commoda salutemque provinciæ, propterea putas semel exulceratum animum tam facile potuisse sanari?

36. Quanquam in istis omnibus rebus, præsertim apud homines barbaros, opinio plus valet sæpe quam res ipsa. Persuasum est Sardis se nihil [3] Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint; multorum [4] etiam spe commodorum præmiorumque ducuntur; omnia consulem putant posse, præsertim ultro pollicentem. De quo plura jam non dicam.

37. Quanquam ea quæ dixi non secus dixi, quam si ejus frater essem, non is qui et est et qui multa dixit, sed is qui ego esse in meum consuevi. Generi igitur totius accusationis resistere, judices, debetis, in quo nihil more, nihil modo, nihil considerate, nihil integre, contra improbe, turbide, festinanter, rapide omnia, conspiratione, imperio, auctoritate, spe, minis videtis esse suscepta.

[1] Hæc: *Neque vero - - fore putabat.* § 34 habet Asconius.
[2] Hæc: *Qui sive patricius sive plebeius* habet scholia Bobiensia.
[3] Hæc: *nihil - - detraxerint* habet Arusianus p. 224. Lind. A. Mai.
[4] Hæc: *multorum - - Scipionum int.* § 45 habet solus codex Ambrosianus.

38. Venio nunc ad testes, in quibus docebo non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium. Etenim fidem primum ipsa tollit consensio, quæ patefacta [1] est compromisso Sardorum et conjuratione recitata [1]; deinde illa cupiditas, quæ suscepta est spe et promissione præmiorum; postremo ipsa natio, cujus tanta vanitas est, ut libertatem a servitute nulla re alia nisi mentiendi licentia distinguendam putent.

39. Neque ego *dico* Sardorum querelis moveri nos numquam oportere. Non sum aut tam inhumanus aut tam alienus a Sardis, præsertim quum frater meus nuper ab his decesserit, quum rei frumentariæ Cn. Pompeii missu præfuisset : qui et ipse illis pro sua fide et humanitate consuluit, et eis vicissim percarus et jucundus fuit.

40. Pateat vero hoc perfugium dolori, pateat justis querelis; conjurationi via intercludatur, obsæpiatur insidiis; neque hoc in Sardis magis quam in Gallis, in Afris, in Hispanis. Damnatus est T. Albucius, C. Megabocchus, ex Sardinia nonnullis etiam laudantibus Sardis. Ita fidem majorem varietas ipsa faciebat. Testibus enim æquis, tabulis incorruptis tenebantur.

41. Nunc est una vox, una mens, non expressa dolore, sed simulata, neque hujus injuriis sed promissis aliorum et præmiis excitata. — At creditum est aliquando Sardis. — Et fortasse credetur aliquando, si integri venerint, si incorrupti, si sua sponte, si non alicujus impulsu, si soluti, si liberi. Quæ si erunt, tum [2] sibi credi gaudeant et mirentur. Quum vero omnia absint, tamen se non respicient? Non gentis suæ famam perhorrescent?

42. Fallacissimum genus esse Phænicum omnia monumenta vetustatis atque omnes historiæ nobis prodiderunt. Ab his orti Pœni multis Carthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque fœderibus nihil se degenerasse docuerunt. A Pœnis, admixto Afrorum genere, Sardi non deducti in Sardiniam atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni.

1 Ita recte legit atque edidit Amedæus Peyron.
2 Ita meliu . ut opinor, Henrichius.

43. Quare, quum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? Hic mihi ignoscet Cn. Domitius [1] Sincaius, vir ornatissimus, hospes et familiaris meus; ignoscent denique omnes ab eodem Cn. Pompeio civitate donati, quorum tamen omnium laudatione utimur; ignoscent alii viri boni ex Sardinia, credo enim esse quosdam.

44. Neque ego, quum de vitiis gentis loquor, neminem excipio. Sed a me est de universo genere dicendum, in quo fortasse aliqui suis moribus et humanitate stirpis ipsius et gentis vitia vicerunt. Magnam quidem esse partem sine fide, sine societate et conjunctione nominis nostri res ipsa declarat. Quæ est enim præter Sardiniam provincia, quæ nullam habeat amicam populo romano ac liberam [2] civitatem?

45. *a*. Africa ipsa parens illa Sardiniæ, quæ plurima et acerbissima cum majoribus nostris bella gessit, non solum fidelissimis regnis, sed etiam in ipsa provincia se a societate Punicorum bellorum Utica teste defendit. Hispania ulterior, Scipionum [3] int[*eritu et fidei Saguntinæ rogo nobilitata, habet Gaditanam civitatem officiis, periculis, fœdere nobis conjunctam. Quæro jam quænam Sardiniæ civitas fœderata possit commemorari? Nulla profecto.*

45. *b*. *Quo igitur ore in populi Romani conspectum se committere audet Sardus testis*] copiis inops, gente fallax. (Arusianus, p. 236, Lind.) [*Repulsum etiam vos a consulatu venistis et beneficio populi Romani eum privare conamini? qua auctoritate?*]

45. *c*. [*Timere vos dixit accusator, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum, et, sicut pater ejus fecisset, antequam de eo judicari posset, magistratum iniret, ac rursus ante alias provincias spoliaret quam rationem prioris administrationis redderet; atque hanc ipsam Triarius accusationis tam turbide, tam festinanter a se susceptæ causam reddidit.*]

1-3 Hæc: *Cn. Domitius Sincaius*. — *Liberam civitatem*. — *Scipionum interitu* habet scholia Bobiensia.

45. *d.* [*Quid hoc est portenti, quid hoc prodigii est?*] Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastrucca mutavit? (Isidori Etymol., lib. XIX, c. XXIII.)

45. *e.* [*Nemo enim adeo hospes in hac urbe versatur, ut peregrinentur ejus aures neque in hoc pervagato civitatis sermone versentur, M. Scaurum vitrico suo L. Sulla victore et munifico in socios victoriæ ita abstinentem fuisse, ut nihil neque donari sibi voluerit neque ab hasta emerit. Hoc aliis mirabile videtur; ille quidem aliter facere non potuit. Meminerat enim se ejus esse filium, qui senatoria sententia, cujus erat ille princeps, ac nutu prope terrarum orbem rexisset.*]

45. *f.* [*Quam ob rem, Sardi venales, impero vobis ut*], hoc nomine audito, quod per omnes gentes pervagatum est, (Arusianus, p. 256, Lind.), de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentiatis. (Ammianus Marcellinus, lib. XXII, c. XV.)

45. *g.* [*Nunc M. Scaurus, squalore sordidus, lacrimis ac mœrore perditus, vester est supplex, judices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem ac vestras opes intuetur. Nolite, per deos immortales, judices, permittere ut ab ignotis testibus, ab hominibus barbaris, civis ac supplex vester non solum consulatu, quo se honestiorem fore putavit, veterum etiam ceteris ante partis honestatibus atque omni dignitate fortunaque privetur. Atque ita vos Scaurus, judices, orat atque obsecrat, si injuste neminem læsit, si nullius aures voluntatemque violavit, si nemini (ut levissime dicam) odio fuit. Semel tantum has partes pietas ei imposuit.*]

45. *h.* Nam, quum ex multis unus ei restaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Cæpione propinquo suo contra Scaurum patrem suum obsignaverat litteras, eas sibi inimicitias non susceptas, sed relictas (Asconius) [*pietatis causa gerendas esse arbitrabatur, æmulatus M. et L. Lucullos, qui, pari pietate et industria præditi, admodum adolescentes paternas inimicitias magna cum gloria fuerant persecuti.*]

45. *i.* [*Quanta vero Triarii fuit iniquitas criminantis, quod tam magnificam domum Scaurus haberet! O priscum censorem ac severum, per quem ne honorato quidem homini et principi liceat habere commodam et plenam dignitatis domum*], præsertim quum propinquitas et celebritas loci suspicionem desidiæ tollat aut cupiditatis. (Asconius.)

45. *k.* [*Quam vero insolenter tua se jactabat, Triari, oratio, quum diceres Lucullei marmoris columnarum, quas in atrio Scauri collocatas videmus, per urbem præter fictilia deorum fastigia in privatam domum vectas esse tantas moles, ut satisdari sibi damni infecti coegerit redemptor cloacarum, quum in Palatium plaustris extraherentur! Videlicet invidiosæ istæ columnæ ad privatam superbiam, quam populus Romanus odit, advectæ sunt, ac non ad publicam magnificentiam quam diligit. At tu solus ignoras usum iis Scaurum antea fuisse ædilem in ornatu theatri, ut pro muneris amplitudine et liberalitate sua in deorum immortalium honorem religionem ludorum apparatus lautitia augustiorem redderet.*]

45. *l.* Ego porro, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas asportavi. (Quintilianus, lib. V, c. XIII.)

45. *m.* [*Quid? tu ipse, Triari, quos, quantos quamque profusos sumptus in columnis fecisti?*] Hoc miror enim querorque, quemquam hominem ita pessumdare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet in qua ipse naviget [1]. (Quintilianus, lib. VIII, c. VI.)

45. *n.* Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia superabat? At egebas [2]. Incurristi amens in columnas; in alienis insanus insanisti; depressam, cæcam, jacentem domum pluris quam te, quam fortunas tuas æstimati. (Cicero, Orator, c. LXVII. — Quintilianus, lib. IX, c. II. — Aquila, p. 22). [*Quid igitur? si te Scaurus arbitrum adegisset, ni multo majores sumptus,*

1 Non dicit nominatim Quintilianus hoc fragmentum esse orationis pro Scauro. (G. Baiterus).

2 Hæc tantum : *Domus - - egebas*, non autem nominatim, servavit Quintilianus.

multo majores effusiones pro censu tuo in columnis fecisses, quam ipse, utrum tandem sponsione vinci necesse fuisset, eumne qui in tam amplo rei familiaris quam paterni nominis patrimonio ornasset dignitatem domo, an eum qui magno in œre alieno totam ex domo quœsisset?]

45. *o.* Hæc quum tu effugere non potuisses, contendes tamen et postulabis, ut M. Æmilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria, sordidissimæ, levissimæ, vanissimæ genti, ac prope dicam pellitis testibus condonetur? (Asconius.)

46. Undique mihi suppeditat quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum etiam oculi inciderint. Curia illa vos de gravissimo principatu patris fortissimoque testatur; L. ipse Metellus, avus hujus, sanctissimos deos illo constituisse [1] templo videtur in vestro conspectu, judices, ut salutem a vobis nepotis sui deprecarentur (Asconius), quod ipsi sæpe multis laborantibus atque implorantibus ope sua subvenissent.

47. Capitolium illud templis tribus illustratum, paternis atque etiam hujus amplissimis donis ornati aditus Jovis optimi maximi, Junonis Reginæ, Minervæ, M. Scaurum apud [*vos memoria hujus munificentiœ et liberalitatis publicœ ab omni avaritiœ aut cupiditatis suspicione defendunt; propinqua illa œdes Vestœ admonet vos ut recordemini*] 48 illius L. Metelli, pontificis maximi, qui, quum templum illud arderet, in medios se injecit ignes et eripuit flamma Palladium illud, quod quasi pignus nostræ salutis atque imperii custodiis Vestæ continetur. Qui utinam posset parumper exsistere! Eriperet ex hac flamma stirpem profecto suam, qui eripuisset ex illo incendio di[*vinum incolumitatis nostrœ pignus. Permoveor cogitatione tam parum sacerdoti deos esse propitios, ut ne servati quidem servent ejus genus tutelœ suœ commenda*]tum.

49. Te vero, M. Scaure, equidem video, video, inquam, non

[1] Hæc: *tuisse templo videtur* usque ad finem habet codex Taurinensis.

cogito solum. Nec vero sine magno animi mærore ac dolore, quum tui filii squalorem adspexi, de te recordor[1]. Atque utinam, sicut mihi tota in hac causa versatus ante oculos *es*, sic nunc horum te offeras mentibus et in horum animis adhærescas! Species medius [*fidius viri, cui neminem vidimus parem consilio, gravitate, constantia, ceteris virtutibus, si posset reviviscere, sic omnes commoveret, ut, quisquis intueretur, is*], etiamsi forte non nosset, tamen principem civitatis esse diceret.

50. Quo te nunc modo appellem? ut hominem? At non es inter nos. Ut mortuum? At vivis et viges, at in omnium animis atque ore versaris, atque divinus animus mortale nihil habuit, neque tuorum quidquam potuit emori præter corpus. Quocumque igitur te mo[*do appellari verum est, adsis nobis atque istam mendacissimorum et levissimorum testium vanitatem impudentiamque vultu ipso adspectuque conterreas; adsis, et civibus tui consilii, cujus auctoritatis numquam pænituit, præferas lumen, ut ne genus tuum ignominia et calamitate dehonestent, neve filium tuum, haud degenerem paterni nominis heredem, sententiis suis affligant.*]

XIX. — INTERROGATIO DE ÆRE ALIENO MILONIS

ARGUMENTUM HISTORICUM

Interrogationis de ære alieno Milonis fragmenta de moribus romanis nihil novi in luce posuerunt. Nemo enim nesciebat, Ciceronis ætate, nobilissimos viros per largitiones ac munera patrimonia sua effundere, quo facilius ad honores ascenderent, obtinerentque provincias, in quibus suam rem aperte reficere

[1] *De te recordor* habet etiam Arusianus Messus p. 258 Lind. (G. Baiterus).

quisque jamdudum solitus erat; præterea sæpe alias ex nostro oratore didicimus quam in altercando vehementes acresque essent senatores, quasi, id quod paulo post accidit, reipublicæ alienissimum tempus providissent, quo vocibus eruditis orbatum est forum, ipsaque eloquentia, quæ quondam plurimum valuerat, pacata est.

Habita est oratio Coss. Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Messala, anno 53 ante J.-C. — Anno Ciceronis 54.

I. 1... adversarii [1].

2. Ejiciundus est ex urbe civis auctor et custos salutis, otii, dignitatis, fidei.

3 et 4. Includendus intra parietes, qui populi romani imperium non terrarum regionibus, sed cœli partibus terminavit.

II. 1. Nec vero tum timendum fuit, quum cessimus.

2. Eosdem ad cædem civium de Apennino deduxisti.

3. Lapidibus duo consules ceciderunt.

4. Qui multis inspectantibus caput feriebas, femina plangebas.

5. ... ber animose confidens.

6. Non pudet? sed quid pudeat hominem non modo sine rubore, verum omnino sine ore.

7. Sic enim homines egentes et turbarum cupidi loquebantur : o virum † usuum !

8. Male dicere autem, immo vero domo principem civem vi et metu continere.

III. 1. Ut quas haberet in vestibulo tabulas refigeret.

2. Etenim tria, ut opinor, hæc in Milonis personam questus es, de ære alieno, *de* vi, de ambitu. Duo præteristi : nihil de religionibus violatis, nihil de incestus stupris questus es.

3. ... lium nomina.

Est enim quocumque venit et reorum crimen et judicum.

4. Tuamque præturam non tuo more differas.

IV. 1. Nec suffragia dabis quibus ostentas.

1 De his fragmentis consulendus est scholiasta Bobiensis.

2. Nec vero illam nefariam libertatem.

3. Quis non meminerit pueritiam tuam?

4. Iterum a piratis redemptum. Quo enim nomine appellem eos, qui te pretio accepto liberaverunt?

V. 1... turæ.

Nisi vero lineamentis hominis nomen et figuris positum, non naturis putas.

2. Tum habuisti quasdam formidines, *quæ* quasi cornua quædam exciderunt impleta.

3. Non enim viderunt, quos ipsi exturbarant, eos in civitatem restitutos.

4. Qni armis cessissem vel tuis urbanis vel, ut opinio tum erat, alienis.

FINIS

INDEX RERUM

LUGDUNI — EX TYPIS PITRAT. VIA GENTIL, 4

ERRATA ET ADDENDA

Præfatio, p. v, nota 3, add. : *Orationis pro C. Cornelio I fragmenta excipio.*
Præfatio, p. vi, l. 5 : *confunderentur*, leg. : *circumfunderentur.*
Præfatio, p. ix, l. 20 et 21 : *exprobatum*, leg. : *exprobratum.*
P. 3, l. 3 : *eloquentiam*, leg. : *eloquentium.*
P. 3, l. 8 : *peteret*, leg. : *cogitaret.*
P. 4, n. 4, l. 1 : *affirmet*, leg. : *affirmat*
P. 5, nota, l. 1 : *c.* 1, leg. : 4.
P. 7, l. 29 : *C.* Fabii, leg. : *P.* Fabii.
P. 11, l. 2 : pro *Sextio*, leg. : pro *Sexto.*
P. 12, n. 3 : *Automiaster*, leg. : *Antoniaster.*
P. 18, l. 11 : *veteres*, leg. *veteris.*
P. 18, n. 1, l. 1 : Arusiani *Messii*, leg. : Arusiani *Messi.*
P. 18, n. 2, l. 2 : *proaemio*, leg. : *proœmio.*
P. 20, l. 2 : *uno anno*, leg. : *nonnullis annis.*
P. 21, l. 22 et 23 : *primum gradum*, leg. : *primos gradus.*
P. 22, n. 1 add. : *Fortunatianus, A. Rh. schol.* iv, 2, p. 61. *Pith.*
P. 23, l. 3 et 4 : *Omnium acerrimum longe omnium*, leg.: *longe omnium acerrimum.*
P. 23, l. 20 : *invitus*, leg. : *invitos.*
P. 24, l. 7 : *quorum consiliis*, add. : *nota 1 bis* : « *Severianus, Syntom. Rh.*, p. 310. *Pith.* »
P. 24, l. 26 : *intelligere*, leg. : *intelligi.*
P. 24, n. 2 : *lib. VII*, *c.* i, leg. : *lib. XXX*, c. viii.
P. 26, l. 2 : *septem*, leg. : *tres*
P. 30, l. 16 : *catilinæ*, leg. : *Catilinæ.*
P. 31, l. 1 : *asserebant*, leg. : *assererent.*
P. 31, l. 2 : *natos, quumque testis*, leg. : *natos, vel facetiis uti non ausus esset, quum testis.*
P. 34, l. 2 : P. Servilium *Globum*, leg. : P. Servilium *Globulum.*
P. 34, l. 28 : *conati*, leg. : *coacti.*
P. 37, l. 2 : *petamus*, leg. : *petam*,
P. 37. l. 30 : *semel*, leg. : *simul.*
P. 39, l. 1 : *accusatu messe*, leg. : *accusatum esse.*
P. 39, l. 4 : de Aruspicum *responso*, leg : de Aruspicum *responsis.*
P. 39, n. 1 : de Aruspicum *responso*, leg. : de Aruspicum *responsis.*
P. 41, n. 1, l. 2 : « *Tum quum hunc populus*, » leg. : « *Quare quum ambitum populus.* »
P. 47, l. 14 : *inviderant*, leg. : *inviderent.*

ERRATA ET ADDENDA

P. 48, l. 24 : *Q. Mutus Orestinus*, leg. : *Q. Mucius Orestinus*.
P. 51, l. 26 : Hæc verba « *Is ergo negat* » delenda sunt.
P. 55, l. 6 : *licet summos*, leg. : *licet illum summos*.
P. 57, n. 2, l. 4 : *Syntom. Rhet.*, leg. : *Syntom. Rhet.*. p. 306
P. 57, n. 3, l. 1 : *J. C.* Victoris, leg. : *C. J.* Victoris.
P. 61, l. 14 : *meminerimus*, leg. : *meminimus*.
P. 61, l. 22 : pro *M.* Curio, leg. : pro *M'* Curio.
P. 64, l. 15 : obediens *esset*, leg. : obediens *fuisset*.
P. 66, l. 7 et 8 : *solutionem rerum creditarum de republica sustulerat*, leg. : *in solutione rerum creditarum spem fraudandi sustulerat*.
P. 67, n. 3 : *3*, leg. : *3 et 5*.
P. 67, n. 5 et 6 : *5 et 6* ad Atticum, Ep. lib. *XI*, leg. : *6* Ad Atticum Ep. lib. *I*.
P. 69, l. 16 : *poene*, leg. : *pene*.
P. 71, n. 2, add. : *c.* VII.
P. 72, n. 3 : *c.* XI, leg. : *c.* XXI.
P. 76, n. 3 : Pro Plancio *c.* XXXIII, leg. : pro Plancio. *c.* XXXIV.
P. 80, n. 1, l. 3 : *ispsum*, leg. : *ipsum*.
P. 81, l. 15 : *multorum*: leg. : *multarum*.
P. 82, n. 2 : *lib. IV*, leg. : *lib. IX*.
P. 83, n. 6, l. 1 : *proaemium*, leg. : *prooemium*.
P. 84, l. 12 : *eeteræ*, leg. : *ceteræ*.
P. 87, l. 3 et 4 : *commeatum*, leg. : *commeatuum*.
P. 87, n. 1, l. 1 . Pro P. *Sextio*, *c.*XXXVI, leg. : Pro P. *Sestio*, *c.* XXVI.
P. 96, l. 6 : *incenderat*, leg. : *incendebat*.
P. 96, n. 3, l. 4 : *lib. VII*, leg. : *lib. VI*.
P. 100, l. 10 et 11 : *Ammiano Marcellino*, leg. : *Valerio Maximo*.
P. 102, l. 22 : *proaemium*, leg. : *prooemium*.
P. 102, l. 24 : *proaemio*, leg. : *prooemio*.
P. 104, l. 25 : *Arin*, leg. : *Arinem*.
P. 112, l. 24 : *conferebat*, leg. : *conferret*.
P. 115, l. 29 : *proaemium*, leg. : *prooemium*.
P. 125, l. 12 : *desiderare*, leg. : *considerare*.
P. 126, n. 3 : *c.* XXXIV, leg. : *c.* XXXV.
P. 130, l. 17 : *sempere*, leg. : *semper*.
P. 133, l. 3 : *unaquaque*, leg. : *unaquaque*.
P. 133, l. 6 : *HOMNIBUS*, leg. : *HOMINIBUS*.
P. 139, l. 1 : *ni*, leg. : *in*.
P. 142, l. 31 : *dederant*, leg. : *dederunt*.
P. 145, l. 12 : *item*, leg. : *iter*.
P. 147, l. 8 : *incolumen*, leg. : *incolumem*.
P. 158, l. 22 : *Idcm*, leg. : *Idem*.
P. 171, n. 8, l. 1 : *codic*, leg. : *codici*.
P. 172, l. 29 : *carcerire servarunt*, leg. : *carceri reservarunt*.
P. 175, l. 7 : *timididate*, leg. : *timiditate*.
P. 178, l. 25 : *matreem*, leg. : *matrem*.
P. 188, n. 2 : *melius*, leg. : *melius*.
P. 190, l. 24 : *veterum*, leg. : *verum*.

LUGD. — EX TYP. PITRAT, VIA GENTIL, 4

LUGD. — EX TYP. PITRAT. VIA GENTIL. 4

LUGD. — EX TYP. PITRAT, VIA GENTIL. 4